
Horæ Diurnales

[illegible]


NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT EMANUELE
ROMA



# HISTORIÆ ECCLESIASTICÆ CENTVRIÆ QVINQVE,

## Ab Augusti natiuitate, ad Imperatorem Valentinianum III.

*Accessit* SYNOPSIS, *cuius argumentum aduersa pagina continetur.*

AVCTORE

IACOBO CAPPELLO.






SEDANI,
Typis IOANNIS IANNONI Academiæ Typographi.

*M. DC. XXII.*

In Synopsi nostra continentur

Series historicorum, pro ratione temporum, quorum historiam describunt. In præfatione.

Poëtarum illustres epochæ.

## EX SCRIPTVRA.

Patriarcharum ad Mosem vsque series.


Iudices Israëlitarum.

Reges tam decem quàm duarum tribuum Israëlis.

## EX CANONIBVS CL. PTOLEMÆI.

Reges Babyloniorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, ad M. Aurelium vsque.

Continuatio Canonum Ptolemæi, continens 1. Imperatores Orientis. 2. Imperatores Occidentis. 3. Reges Francorum. 4. Episcopos Romanos. 5. Episcopos Constantinopolitanos. 6. Doctores Iudæorum.



# ILLVSTRISSIMO PRINCIPI
# FRIDERICO TVRRÆO
# PRINCIPI SEDANENSI.



*ISTORIA quomodocunque ſcripta delectat, inquit Tullius. Auſim ampliùs & quidem verè dicere, Princeps Illuſtriſſime, Hiſtoria quomodocunque ſcripta iuuat, modo ſit hiſtoria, non fabula: modo nihil ſtudio partium ab authore fingatur, ſed quàm accuratiſſimè veritas indagetur & exhibeatur; quod à me bonâ fide factum, bonâ conſcientiâ teſtari poſſum coram Deo, cui nota ſunt omnia, & coram tuâ Celſitudine, cui non ſunt ignoti mores mei. Iuuat, inquam, modo copioſa, modo breuis hiſtoria: Etiam Chronicis & Synopſibus ſuus eſt vſus, ſua gratia, modo bonam fidem comitetur ſedulitas & induſtria. Mihi quàm multa deſint, & ſentio, & non inuitus agnoſco. Sinceritatem certè cum labore coniunximus. Sed quodcunque tandem futurum ſit T.C. & aliorum de noſtro conatu iudicium, non dubitamus quin dicturus ſis meam operam tibi non ſufficere, malle te tuam ſitim ex ipſis fontibus, quàm ex noſtris alijsve noſtri ſeculi riuulis reſtinguere; adeoque teſtari dignatus es tibi quidem gratum eſſe videre ſeriem virorum Principum, ſed multò gratiùs futurum videre commodam aliquam præcipuorum hiſtoricorum ſeriem, vt ſcias quinam potiſſimùm, & quonam ordine tibi legendi ſint. Vtrumque certè magni momenti eſt, cùm in quorumuis ſcriptorum, tum imprimis in hiſtoricorum lectione. Vt igitur eâ de re dicam quid ſentiam, curriculum aliquod hiſtoricum emetiri qui volet, non aliunde initium debet ducere quàm à Moſis Geneſi, quæ ſola mundi tum ante, tum poſt diluuium origines nos docere poteſt. Huius vndecim priora capita continent hiſtoriam bis mille & octoginta annorum à creatione rerum ad Abrahami vocationem. Reliqua Geneſeos pars cõtinet annos circiter trecẽtos ad obitum vſq; Ioſephi.*

Huic subiungere potes Iobi librum, vt cuius historia non multò post Iosephi mortem cõtigerit, quam annis viginti antecessit Amrami, qui Mosem genuit, natiuitas, à quâ ducit initium Exodus, cuius sex priora capita continent historiam annorum centum triginta, reliqua duorum: Leuiticus vnius mensis, Numerorum liber annorum vndequadraginta, Deuteronomium mensium duorum, Iosuæ liber annorum tredecim, Iudicum liber annorum trecentorum, prior Samuelis siue Regum liber annorum quadraginta trium. Colliguntur anni 2944. quorum historiam non aliunde potes haurire, quàm ex istis fõtibus, nisi quod liber Ruth ad Iudicum tempora pertinet. & Chronicorum, siue Paralipomenon primi libri decem priora capita continent temporis illius κτ [illegible] ἀνακεφαλαίωσιν. Reliqua primi Chronicorum pars & Samuelis, siue Regum secundus liber eandem historiam continent, nempe regnum Dauidis annorum quadraginta. Sequentes libri Regum continent res gestas Salomonis & viginti regum, qui decem Israëlitarum tribubus imperarunt 256. annos, ac denique viginti posterorum Salomonis, qui reliquis duabus tribubus imperarũt Hierosolymis annos trecẽtos nonaginta. Secundus Chronicorum liber solos Hierosolymitanos Principes recenset, complectens historiam annorum fere quingentorum à morte Dauidis ad laxatam à Cyro captiuitatem, à quâ ducunt initium Esdras & Nehemias ad secundum vsque Darium, qui 134 annis post reditum à captiuitate Babylonicâ regnum reliquit Artaxerxi Mnemoni, cuius historiã copiosè quidem refert Plutarchus, Scriptura verò silẽtio transmittit, vt transeat ad Ochum, sub quo, meâ quidem sententiâ, contigerunt ea quæ referuntur in libro, cui titulus est Ester, quâ regnante natus est Alexander Magnus. Mortuus est autem Ochus A. M. 3668. Hi sunt instrumenti veteris historici sacri. Prophetici libri sunt viginti, quorum tres à Salomone rege scripti sunt. Is scripsit primò quidem Canticum, deinde Prouerbia, sub vitæ finem Ecclesiasten ὡς ἐξομολόγησιν peccatorum à se medio principatus sui tempore commissorum. Psalterium à multis tempore valde dissitis conscriptum est. Nonagesimus à Mose paulò ante obitum A. M. 2548. quidam in captiuitate Babylonicâ h. e. post A. M 3416. vt Psal. CXXXVII. Quidam post laxatam captiuitatem, h. e. post A. M. 3468. plerique tamen sunt Dauidis. Supersunt Prophetæ propriè dicti sedecim, quorum vetustissimi quatuor sub Ieroboamo II. floruerunt. Ionas quidem initio, h. e paulò post A. M. 3171. vt qui prædixerit res à Ieroboamo strenuè prosperéque gestas. Ioel & Amos circa medium, Oseas sub finem h. e. paulò ante A. M. 3212. vt qui prophetarit etiam sub Ezechiâ qui regnare cœpit A. M. 3276. Sic Esaïas sub Oziæ vel Azariæ, qui mortuus est A. M. 3248. finem prophetare cœpit, vt qui prophetarit etiam sub Manasse, à quo serra dissectus est circa A. M. 3310. Huius σύγχρονος, sed non tam longæuus, Mi-

cheas suo munere functus est sub Achazo, & sub Ezekiâ, qui regnare cœperunt A. M. 3263 & 3276. Sub Ezekiæ filio Manasse prophetasse creditur Abakuk. Sub Manassis nepote Iosiâ prophetarũt Sophonias, Nahum & Ieremias. Nahum prædicit Niniues subuersionem, quæ contigit A. M. 3387. Ieremias cœpit anno Iosiæ XIII. mundi 3374. & prophetauit aliquot annis post excidium templi, quod contigit A. M. 3416. Huic excidio cùm insultassent Idumæi, subuersionem eorum prædicit Abdias. Paulò ante excidium istud prophetare cœperunt Daniel & Ezekiel: Sed Daniel longæuus prophetauit ad tertium vsque Cyri annum, mundi 3470. Post obitum eius Aggæus & Zacarias prophetare cœperunt secundo Darij anno, mundi 3486. Malachias sub Artaxerxe Longimano, qui regnare cœpit A. M. 3542. Hæc ideo notamus, vt si quis voluerit ex Prophetis ea supplere quæ desunt historijs sacris, legat Prophetas cum historijs eorum regum sub quibus floruerunt.

Dixerit aliquis, Quæ pertinent ad Ecclesiæ veteris ante Cyrum historiam, ea nonne possunt aliunde peti quàm ex Scriptoribus sacris? Vix sanè. Habet quidem Iosephus aduersus Apionem aliqua, quæ pertinent ad veteris illius historiæ maximè post Samuelis tempora confirmationem aut illustrationem, sed pauca. In libris autem Antiquitatum, imprimis vbi de Mose loquitur habet sanè multa, quæ non comperiuntur in Scriptura, sed ea sunt fabulosa, vel sublestæ fidei. Post Cyrum verò regum Persidis Iudæis imperantium series, non à Iudæis historiæ Persicæ prorsus ignaris, sed à Græcis est petenda, qui cum Persarum regibus illustria, quin & continua bella gesserunt: sed quia non in Iudæam vsque penetrabant arma Græcorum, ita cum Persis sua bella narrant, vt Iudaïcarum rerum mentionem nullam faciant. Post debellatos à Græcis Persas, Iudæi toties à Græcis vexati sunt dum modo Seleucidæ, modo Ptolemæi volunt Iudæam suis prouincijs adiungere, vt suis cladibus Iudæi plus satis innotuerint. Igitur præter Machabæorum tres libros, & multa sparsim apud varios Scriptores, habemus Iosephum, nouem vltimis suarum antiquitatum, & septem belli Iudaici libris eloquentissimè simul & accuratissimè res Iudaïcas enarrantem, ab Alexandri morte ad excidium vsque gentis Iudaïcæ, quæ deinceps vt imperium nullum, ita nullum historicum habuit, qui quidem sit alicuius nominis, sed tantùm ieiuna quædam & valde confusa Chronica, eáque perpauca, ex quibus collegimus doctorum Iudaïcorum indicem, quem inseruimus Synopsi nostræ: quem si viderimus id optari, poterimus σὺν θεῷ paulò vberiorem dare.

Reliquæ gentes multos quidem habent historicos, Iosepho recentiores, vetustiores paucos, eosque Græcos aut Romanos. Et Heroica quidem Græciæ tempora si spectes, quæ Heraclidarum in Peloponnesum ingressum antecesserunt, ea descripta sunt à Poëtis potissimùm, fabulosè quidem, sed ita tamen

ã iij

*vt historica multa contineant. Habemus præterea Diodorum Siculum prioribus quinque libris, Apollodorum de dijs gentium, Plutarchum in Theseo, Lucianum in dialogis, Eusebium, & sparsa quædam apud Clementem Alexandrinum aliosque fragmenta.*

*Sequens ad Xerxis vsque transitum in Græciam interuallum annorum viginti quatuor & sexcentorum pauciores, sed aliquantò certiores habet enarratores, Iustinum, Velleium Paterculum lib. 1. & fragmenta quædam apud varios Scriptores, sed imprimis Herodotum, qui circa A. M. 3562. sub Artaxerxe Longimano scripsit non Græciæ tantùm, sed & aliarum aliquot gentium origines, quas aliunde non possumus haurire.*

*Post Artaxerxis demum obitum historicis abundare cœpit Græcia, sed eorum plerique pridem interciderunt. Inter eos qui supersunt eminent maximè Thucydides, Xenophon, Polybius, dignissimi qui vocentur historici, vt qui res suo seculo, suo solo gestas, & maximam partem à se visas, fidelissimè simul & iudiciosissimè describant. Thucydides obscurus quidem, sed γνωμικώτατος scriptor desinit in anno V. C. 343. Xenophon suauissimus & ethnicorum maximè pius, desinit in anno V. C. 391. paulò antequam rerum potiretur Philippus Macedoniæ rex, sub quo floruerunt Oratores insignes, historica multa suis orationibus admiscentes, imprimis Demosthenes, Æschines, Isocrates. Alexandri Magni Philippi filij res gestas enarrarunt Arrianus, Plutarchus, Q. Curtius. Vni Diodoro Siculo plurimùm debet historia Græca, vt vt valde mutilato. Ægyptum is lustrabat Olympiade 180. h. e. anno V. C. 694. Huius postremi libri decem accuratè res Græcorum enarrant ab anno V. C. 274. quo Xerxes in Græciam traiecit ad annum vsque 452. Sed nullus horum comparandus esset cum Polybio, si totus extaret. Is pauca tangit ante annum V. C. 452. Sequentia quoque breuiter attingit ad annum vsque 534. Deinceps autem ad annum vsque 607. Græcam simul & Romanam historiam accuratissimè pertractat. Græcia deinceps cùm desierit esse sua, non tam suarum, quàm Romanarum rerum historicos habuit. Italia contra nullum habet historicum Polybio vetustiorem.*

*Vt igitur iam accedamus ad Romanam historiam, tempora quidem Romę conditum antegressa habent libellum inscriptum, ORIGO GENTIS ROMANÆ, & eo vetustiorem Dionysium Halicarnassensem lib. 1. Sequentem historiam ille descripserat forsan vsque ad annum V. C. 747. quo scribebat, sed quæ supersunt eius historiæ, vix deducunt nos ad annum vsque V. C. 312. Diodorus Siculus Græcis admiscet Romana, ab anno V. C. 274. ad annum vsque 452. T. Liuium quoque, qui sub Augusto florebat, res Italiæ describentem habemus ab euersione Troiæ ad annum V. C 462. in quo desinit prima T. Liuij decas: secunda deest. Tertia ducit initium à secundo*

*bello Punico, quod inchoatum est anno V. C. 536. Ita bellum illud tres eximios scriptores habet, Polybium, Liuium, & Silium Italicum Poëtam. Liuiana quæ iam superest historia, nos deducit ad annum V. C. 588. quo Prusias Bithyniæ rex Romam venit. Eorum autem, quæ in Liuio desiderantur epitome, nos deducit ad obitum vsque Drusi, qui perijt anno V. C. 745.*

*Paterculi liber secundus initium ducit ab anno V. C. 608. nosque, sed raptim, deducit ad annum 783. quo Consulatum gerebat Vinucius, cui librum suum consecrat. Crispi Salustij vix quidquam hodie superest preter bellum Iugurthinum, quod inchoatum est anno V. C. 643. confectum anno 650. & Catilinarium, quod vix biennale fuit anno V. C. 690. & 691. Julius Cęsar rerum à se gestarum commentarios eximios scripsit, ab anno V. C. 695. ad obitum fere suum, qui contigit anno V. C. 710. Tullius in epistolis & orationibus suis habet multa, sed sparsa ad sui temporis historiam pertinentia. Occisus est autem anno V. C. 712. Appianus Alexandrinus varia Romanorum bella describit, imprimis autem ea quæ gesta sunt ab anno V. C. 536. ad annum 719. quo Sex. Pompeius occisus est.*

*Plinius suum opus Imp. Tito dedicans anno V. C. 830. multa quidem habet historica, sed sparsa, vt qui naturalem potiùs quàm ciuilem historiam sibi proponat, aut locorum potiùs quàm temporum seriem. Idem dicimus de Strabone, qui circa annum V. C. 770. & Pausania, qui circa annum V. C. 930. geographicis suis historias multas admiscuerunt, sed ita sparsas, vt historiæ nomen vix obtineant. Apollonij Tyanęi, qui perijt anno V. C. 850. vitam describens Philostratus, loquitur vt eius discipulus. Ita sub Traiano scripsisse videtur. Sub eodem Traiano floruerunt Suetonius, Plutarchus, Tacitus, Florus, insignes quidem historici: sed Suetonius duodecim Cæsarum priorum vitas in capita quędam distribuit, non obseruatâ temporum serie. Plutarchus prestantissimus scriptor in vitis Grecorum Romanorumque recensendis seriem quidem rerum gestarum sequitur, sed ita tamen vt non tam Reip. quàm priuatam hominum illorum historiam persequatur. Florus epitomen tantùm scribit, sed eam perelegantem à Romæ primordijs ad Ianum ab Augusto clausum anno V. C. 725. Floro multò breuior est Messala Coruinus Augusto scribens cursim res Romanas ab euersione Troiæ ad Augustum. Tacitus admirabilis iudicij vir, ab anno V. C. 767. quo perijt Augustus scripsit ad annum vsque 823. quo Vespasianus rerum potitus est. Scripsit etiam soceri sui vitam, qui mortuus est anno V. C. 846. Imp. Traiani laudes habes in Plinij panegyrico, quædam etiam ex eius epistolis discere possumus. Sequentium ad Constantinum vsque Principum res gestas descripserunt Spartianus, Capitolinus, Lampridius, Vopiscus, quorum collectio simul vocatur historia Augusta, quam luculentissimis commentarijs illustrarunt Is. Ca-*

*ſaubonus & Claudius Salmaſius. Ad ſeculum idem pertinent pleræque Sophiſtarum vitæ, quas ſcripſit Philoſtratus. Dio Caſſius, qui Conſulatum geſſit anno V.C. 982. Græcè ſcripſit inſignem hiſtoriam, ſed valde laceram. Quæ ſuperſunt, initium ducunt ab anno V.C. 686. ad annum 807. quo periit Imp. Claudius. Extat etiam eius epitome à Xiphilino ſcripta, ducens initium à Pompeio, deſinens in Alexandro Seuero, qui periit anno V.C. 988. Sub eodem principe floruit Herodianus, qui Græcè quoque ſcripſit hiſtoriam pauciorum quidem quàm Caſſius annorum, ſed admodum iudicioſam & elegantem, à Commodo, qui regnare cœpit anno V.C 933 ad Maximinum, qui periit anno 990.*

*Chriſtiani principes naſti ſunt etiam ethnicos hiſtoricos aliquot, Zozimum, Ammianum Marcellinum, Sex. Aurelium Victorem, Eutropium, Sex. Rufum. Marcellini priores libri tredecim deſunt. Quæ ſuperſunt, initium ducunt à Gallo, quem Imp. Conſtantius ad Cæſaream dignitatem euexit anno V. C. 1104. & in Valente deſinunt anno V.C. 1131. Eutropius & Victor epitomen potiùs quàm hiſtoriam ſcripſerunt. Eutropius ab Vrbis primordiis ad annum V.C. 1117. quo Iouinianus Auguſtus deceſſit. Victor primo libro ſparſim vitas illuſtrium Romanorum ſcribit à Proca Romuli auo ad Cleopatram vſque quam vicit Auguſtus anno V.C. 725. Secundo verò libro continuam, ſed breuem ſeriem Imperatorum proponit ab Auguſto ad annum V.C. 1148. quo mortuus eſt Imp. Theodoſius. Multò breuior eſt Sex. Rufus, initium ducens ab incunabulis Romæ ad Imp. Valentinianum, qui regnare cœpit anno V.C 1117. Et hi quidem quos recenſuimus, vt Latinos hiſtoriæ Romanæ ſcriptores, à Petro Rouuerio ſimul typis editi ſunt duobus tomis A.D. 1609. in folio. Pleroſque iam ſimul ediderat Henricus Stephanus A.D. 1568 quatuor tomis in quarto.*

*Hactenus recenſuimus hiſtoricos Hebræos, Iudæoſve, vel Ethnicos, eoſque Græcos aut Romanos. Sed antequam ad Chriſtianos accedamus, dixerit aliquis, Reliquæ gentes nullos-ne ſcriptores habuerunt, hiſtoricos nullos? Habuerunt ſanè, ſed iniuriâ temporis interciderunt, vt ſi quid ad aliarum gentium hiſtoriam ſpectans quæras ante Chriſtum natum, adeoque ante ſexcenteſimum annum Chriſti, id petendum ſit ab hiſtoricis Hebræis, Græcis aut Latinis. Siquidem hiſtoria ſacra gẽtium omnium origines ſola nobis tradit in deſcribendâ Noæ genealogiâ; quin & deinceps ſæpè meminit populorum Iudæam circunſtantium. Horum etiam meminerunt Ioſephus aduerſus Apionem, Herodotus, Iuſtinus: imprimis geographi, puta Strabo, Solinus, Pomponius Mela, Plinius. Perſarum ſpeciatim meminerunt Cteſiæ fragmenta, cum Herodoto iungi ſolita, & Plutarchus in Artaxerxe. Maris Erythræi & Ponti hiſtoriam enarrarunt Arrianus, ac Memnonis & Agathar-*

thar-

*tharchidis fragmenta Græca ab Henrico Stephano typis edita A. D. 1557. Et hæc quidem ante ruinam imperij Romani scripta sunt. Ex quo verò Romanum imperium à gentibus varijs vndecunque irrumpentibus lacerari cœptum est, tum demum earum origines inquirere describereq; cœperunt historici quamplurimi.*

*Historiam Ecclesiæ Christianæ primi consecrarunt Apostoli duo, totidem Euangelistæ. Desinunt omnes in Christi resurrectione, sed Iohannes & Marcus incipiũt quarto tantùm ante Christi resurrectionem anno, Matthæus à Christi conceptione, Lucas à Iohannis Baptistæ conceptione. Idem Euangelio suo libellum addit continentem Apostolorum acta, desinentem in A. D. 61. Paulus res à se gestas sæpè tangit, sed intra A. D. 39. quo conuersus est & A. D. 64. quo martyrium fecit.*

*Primum post Apostolos historicum Christianum habemus Eusebium, tum in Chronico, tum in libris historiarum, qui desinunt in A. D. 337. quo fato functus est Imp. Constantinus. Inchoat verò Chronicon à mundi primordijs, historiam ab aduentu Christi.*

*Historiam Constantini descripserunt insuper Sozomenus, Theodoretus, Socrates, ac desinunt Sozomenus quidem A. D. 411. quo tyrannus Constantinus occisus est, Theodoretus A. D. 427. quo Theodorus Mopsuestenus obijt, Socrates A. D. 439. Theodosio & Festo Coss. Ex tribus istis simul permixtis Latinam historiam, eamque tripartitam concinnauit Cassiodorus, quam continuauit Sigebertus ad A. D. 1113. & incertus aliquis Sigebertum ad A. D. 1216. Historiam autem Eusebij, Sozomeni, Socratis & Theodoreti simul edidit Petrus Rouuerius A. D. 1612. & addidit Euagrium & Theodorum Lectorem. Euagrius incipit ab A. D. 363. quo perijt Iulianus, ad A. D. 591. quo Tiberius Mauritius filium suum Theodosium coronandum curauit. Theodorus ab A. D. 449. quo Theodosius II. obijt, ad A. D. 491. quo regnare cœpit Anastasius. Et hi quidem Eusebij continuatores dici possunt: imitatores autem habemus multos tam in Oriente quàm in Occidente. In Oriente quidem Maximum, Nicephorum, Cedrenum, Zonaram, Michaëlem Glycam, vt qui Chronologias historiasve suas inchoarunt ab orbe condito. Eas verò perduxerunt Maximus ad annum 641. quo mortuus est Imp. Heraclius, Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus ad A. D. 858. quo Photius sedere cœpit, Cedrenus ad Imperatorem Isaacium Comnenum, qui mortuus est An. Dn. 1060. Zonaras ad An. Dn. 1117. Michael Glycas ad An. Dn. 1118. quo mortuus est Imperator Alexius Comnenus. Hunc continuauit Nicetas ad An. Dn. 1203. & alius aliquis ad An. Dn. 1453. quo Constantinopolis à Turcis capta est. Nicephorus Callisti, licet historiam suam dedicet Imp. Emanueli Palæologo, qui regnare cœpit A. D. 1388. tamen*

*eam ab Ecclesia Christianæ primordijs inchoatam, perducit tantùm ad A.D. 602. quo Phocas occidit Imp. Mauritium. Et Glycas quidem ac Nicephorus Græcè scripserunt, sed Latinè tantùm extant.*

*Latinos historicos Ecclesiæ multò plures habemus quàm Græcos. Rufinus ab A.D. 325. quo Nicenam Synodum conuocauit Imp. Constantinus incipiens, desinit in A.D. 395. quo mortuus est Imp. Theodosius I. Hunc cum Eusebio, Socrate, Theodoreto, Sozomeno, Theodoro, Euagrio, Latinè typis edidit Frobenius A.D. 1549. Paulus Orosius Eusebium imitatus, ab orbe condito perduxit historiam ad A.D. 414. quo mortuus est Ataülphus Gothorum rex. Hieronymus Eusebij Chronicon vertendo suum fecit, & continuauit ad A.D. 378. Prosper Aquitanicus ad A.D. 445. Victor Tunnensis ad A.D. 565. Johannes Biclariensis ad A.D. 590. Hieronymi quoque Chronicon continuarunt Marcellinus Comes ad A.D. 558. Idacius ad A.D. 568. Hæc omnia Chronica simul typis edenda curauit Ioseph. Scaliger, cum excerptis quibusdam initium ducentibus à conditu rerum, & desinentibus in A.D. 387. Valentiniano III. & Eutropio Coss. Sed & Prosperum continuauit Matthæus Palmerius Florentinus ad A.D. 1450. Hunc Pisanus ad A.D. 1512. Procopius, Agathias, Iornandes res ab Imp. Iustiniano gestas ita scribunt, vt Persarum, Gothorum, Gepidarum potissimum meminerint. Eusebium imitati sunt insuper Iornandes, Freculphus, Beda, incipientes ab orbe condito, & desinentes Iornandes quidem A.D. 534. Freculphus A.D. 603. Beda A.D. 726. Sequuntur deinceps apud Latinos historiæ tum vniuersales, tum particulares tam multæ, vt earum numerum inire, mihi, qui non vltra quintum à Christo nato seculum historiam meam continuaui, non sit necesse, maximè cùm id præstiterit Bodinus, ad calcem historicæ suæ methodi, Posseuinus, alij.*

*Dixerit aliquis, Ergo-ne tam paucos veteres habemus, ex quibus discere possimus quisnam fuerit Ecclesiæ primitiuæ status? Habemus sanè plures. Nam etiam Ethnici nonnunquam rerum nostrarum meminerũt, licet rarò & malignè. Suetonius in Claudio, Tacitus in Nerone, vix vno eoq; contumelioso verbo Christi meminerũt. Sed Ioseph. Antiq. l. 18. c. 4. Plin. l. 10. Vopiscus in Aureliano, quin & Lucianus in dialogis aliquot, vt vt profanus [illegible], de Christianis ea scribunt, quæ sunt notatu dignissima. Præterea, cùm hæreses refellunt Irenæus, Tertullianus, Epiphanius, Philastrius, Athanasius, Optatus, Augustinus, Hieronymus: cùm apologias pro relligione Christianâ scribunt Iustinus, Athenagoras, Origenes, Tertullianus, Minutius, Arnobius, Lactantius, luculenter nos docent quonam loco tum res essent Christianorum. Imprimis Cyprianus, Hieronymus, Ambrosius, Basilius in epistolis suis, multa nos docent ad historiam Ecclesiæ pertinentia. Adeoque vix vllus*

*est Ecclesiæ doctor, ex quo, licet nihil minùs quàm historiam scribat, non possis aliquid exculpere, quod ad historiæ pertineat illustrationem. Docent id eruditissimi annales Cardinalis* Baronij. *Potes etiam id colligere ex historiâ nostrâ, quantumuis breui.*

*Sed certè pridem oblitus sum cum quo mihi res sit, nempe cum Principe, quem tot authorum lectione obruere, id verò esset in publica commoda peccare. Legendi sunt Principi pauci quidem, sed optimi quique; imprimis sacri, vt qui, non tantùm quid olim sit actum, sed quid quotidie nobis sit agendum, doceant, & quidem auctoritate diuinâ, cui Regum ac Principum omnium sceptra subsunt. Post scriptores sacros Principis lectione dignissimos censeo, Polybium, Tacitum, Herodianum inter veteres: inter recentiores autem Nicetam Choniatam, Cominæum, Sleidanum, Guicciardinum: imprimis verò Thuanum, qui res seculi nostri tanta fide, tanta dignitate scripsit, vt nec Græcia, nec Italia quidquam habeat illi præferendum, vix quidquam cum illo comparandum.*

*Sed ne pauculis quidem illis legendis vacare licet cuiuis Principi. Nihil igitur consultius puto, quàm vt ij qui Principum studijs dirigendis adhibentur, seligant ipsi, non tantùm optimos quosque scriptores, sed in ijs illustrissima quæque, cætera verbis summatim percurrant. Eò verò pertinet authorum ac temporum series, vt animaduertamus quem exitum capiant hominum consilia, vt cùm videmus pereuntem Neronem haud multò post institutam aduersus Christianos persecutionem. In vnoquoque Principe spectandum qualis fuerit, qualis videri voluerit. Verbi causa, Tiberius cùm videri vellet iustissimus & propositi tenax, suspensa tamen erant illius omnia, tum verba, tum consilia: cùm clementiam semper iactaret, nihil nisi sæuitiam spirabat. In quauis expeditione distinguendæ semper sunt veræ causæ ab ijs quæ prætexuntur. Et quamuis ab euentu solo non sit iudicandum, tamen ab effectis ad causas recurrendum, & à fructibus de arbore iudicandum. Quidquid vsquam prudenter, piè, fortiter factum, id erit tibi normæ vel legis instar, vt quoties simile quidpiam recurret, scias quomodo te gerere debeas. Quin & impiorum tetra scelera, flagitiaque piam mentem afficiunt horrore vitij, vt etiam à minoribus vitijs cautiùs abstineat quàm pridem, cùm agnoscit quanta sit peccati pellacia, quanta deformitas, quàm miser exitus. Huiusmodi quàm plurima documenta suppeditabit historiarum accurata lectio, præsertim apud eum, qui consiliorum & scientiæ directricem habet conscientiam, qui cum iudicij soliditate coniunctam habet mentis sinceritatem; cum animi fortitudine Dei timorem; cum prudentiâ fidem in eum cuius prouidentiâ gubernantur omnia: cui penitus illud persuasum est, fortitudinem esse belluini furoris instar, nisi regatur à ratione: rationem vesanam esse, nisi re-*

*gatur à pietate: illustrissimam eius esse victoriam qui vincit animum, ac Deo subijcit: cui seruire multò felicius est & nobilius quàm omnibus hominibus imperare. Nemo maiore fructu legit aliorum facta, quàm qui facit ipse scribenda: qui sic viuit ac si scriptis consignanda sciat omnia sua facta dictaque: qui laudibus aliorum non minùs fauet quàm suis: qui gloriam metitur non imperij magnitudine, nec applaudentium numero; sed bonæ conscientiæ testimonio. His alijsque virtutibus locupletissimè T. C. instruxit indoles optima, educatio sedula, exempla domestica: imprimis verò Illustrissimus T. C. pater is est, vt eius agones heroici multò acriores tuæ virtuti subdant stimulos, quàm Themistocli trophæa Miltiadis. Huius egregia documenta T. C. sunt multorum librorum instar: vita verò velut exquisitissima norma ad quam mores tuos componas. Deum immortalem ex animo veneror, vt tum illius, tum T. C. nouis in dies benedictionibus cumulare dignetur.*

*Tuæ Celsitudinis*

*Obseruantissimus*

IACOBVS CAPPELLVS.

# POETARVM ILLVSTRES EPOCHÆ.




* *
*

| Anni: Mundi ex nostra sententia. | Anni: Abrahami, ex Eusebij sententia. | Anni: Ante Christũ, ex vtriusque sententia. | |
|---|---|---|---|
| 2150. | 161. | 1856. | Inachus pater Iûs primæ. Metam. l. 1. primus Argiuorum rex. |
| 2368. | 379. | 1628. | Atlas oriundus ab Iapeto. Metam. l. 4. |
| 2419. | 430. | 1587. | Prometheus Atlantis frater affigitur rupi. Æschylus *Prometheo.* |
| 2450. | 461. | 1506. | Cecrops primus Atheniensium rex. Metam. l. 2. |
| 2470. | 481. | 1536. | Iasus Inachi trinepos, vel abnepos, pater Iûs secundæ, quam cum primâ confundit Ouidius Metam. lib. 1. |
| 2493. | 504. | 1513. | Diluuium Deucalioneum, quod cum vniuersali confundit Ouidius Metam. l. 1. Incendium Phaëthontis. Metam. l. 2. |
| 2519. | 530. | 1487. | Erichthonius quartus Atheniensium rex. Metam. libr. 1. |
| 2521. | 532. | 1485. | Arcas Calistûs filius, Lycaonis nepos. Metam. lib. 2. |
| 2523. | 534. | 1483. | Ægyptus fratrem Danaum pellit. Ouid. epist. 14. Æschylus *Supplicibus.* |
| 2569. | 580. | 1437. | Pandion pater Procnes & Philomelæ. Metam. lib. 6. |
| 2576. | 587. | 1430. | Europa Cadmi soror rapitur. Metam. lib. 2. |
| 2599. | 610. | 1407. | Cadmus ducit Harmoniam matrem Autonoes, Agaues, Semeles, Inûs. Metam. lib. 3. & 4. |
| 2609. | 620. | 1397. | Erechtheus Creusæ pater. Euripides *Ione.* |
| 2643. | 654. | 1363. | Tantalus Niobes pater rapit Ganymedem. Metam. lib. 6. & 10. |
| 2650. | 661. | 1356. | Ino Melicertam præcipitat. Helle decidit in mare. Metam. lib. 4. & 6. |
| 2663. | 674. | 1343. | Acrisius pater Danaes. Metam. l. 4. Euripides *Danae.* |
| 2685. | 696. | 1321. | Æsculapius. Metam. lib. 2. |
| 2694. | 705. | 1312. | Perseus Danaes filius, Acrisij nepos. Metam. libr. 5. |
| 2736. | 747. | 1270. | Orpheus. Metam. lib. 10. |
| 2743. | 754. | 1263. | Atreus Pelopi succedit. Seneca *Thyeste.* |
| 2744. | 755. | 1262. | Iason Colchidem nauigat. Metam. lib. 7. Onomacritus *Argonauticis*, quæ tribuuntur Orpheo. Valerius quoque Flaccus scripsit Argonauticon libros octo. |

| ANNI | | | Poëtarum illustres epochæ. |
|---|---|---|---|
| Mundi. | Abrah. | Ant.Ch. | |
| 2746. | 757. | 1260. | Iason Hypsipylen deserit. Ouid. ep. 6. Hercules Hesionem Laomedontis filiam liberat. Metam. l. 11. Iason Medeam abducit, dein deserit. Ouid. epist. 12. Euripides & Seneca *Medea*. |
| 2756. | 767. | 1250. | Hercules Troiam capit. Metam. lib. 11. Hinc Lycophronis Cassandra incipit lugere Troiæ fata, suasque prædictiones continuat ad Xerxis vsque mortem. |
| 2760. | 771. | 1246. | Eurystheus, cuius iussu tot labores exantlauit Hercules. Metam. lib. 12. 13. |
| 2761. | 772. | 1245. | Centaurorum cum Lapithis pugna. Metam. lib. 12. |
| 2776. | 787. | 1230. | Minotaurus Ariadnes ope debellatur à Theseo, qui eâ desertâ Phædram duxit Hippolyti calumniatricem. Ouid. epist. 4. & 10. Euripides & Seneca *Hippolyto*. |
| 2783. | 794. | 1223. | Oedipus sibi fodit oculos. Seneca *Oedipode*. Sophocles *Oedipode tyranno*. |
| 2786. | 797. | 1220. | Oedipodis liberi mutuis vulneribus cadunt. Euripides *Phœnissis*. Æschylus *Septem ad Thebas*. Statius & Seneca *Thebaïde*. Defunctorum bello Thebano viduæ rogant vt cadauera sepeliantur. Euripides *Supplicibus*. Sophocles *Antigone*. |
| 2788. | 799. | 1218. | Oedipus mortem sibi consciscit. Sophocles *Oedipode Coloneo*. |
| 2799. | 810. | 1207. | Meleager aprum Calydonium interficit. Met. l. 8. |
| 2800. | 811. | 1206. | Hercules perit. Ouid. epist. 9. & Metam. lib. 9. Sophocles *Trachiniis*. Seneca *Hercule Oetæo & furente*. |
| 2801. | 812. | 1205. | Herculis filios Eurysthei metu profugos excipiunt Athenienses Demophoontis Theseidæ consilio. Euripides *Heraclidis*. |
| 2802. | 813. | 1204. | Helenæ raptus. Ouid. epist. 5. 15. 16. & Metam. lib. 12. Coluthus & Euripides *Helena*. Horatius lib. 1. odâ 15. |
| 2809. | 820. | 1197. | Agamemnon aduersus Troiam conscribit exercitum. Iliad. lib. 2. Vt ventum secundum impetret, filiam Iphigeniam offert. Euripides *Iphigenia in Aulide*. Protesilaum ab hac expeditione deterret vxor Laodamia. Ouid. epist. 13. |
| 2818. | 829. | 1188. | Briseis eripitur Achilli. Hinc initium ducit Ilias Homeri. Ouid. epist. 3. Rhesus occiditur ab Vlysse. Euripides *Rheso*. Achilles Hectorem occidit, |

| ANNI Mundi. | Abrah. | Ante Christũ. | Poëtarum illustres epochæ. |
|---|---|---|---|
| | | | & cadauer reddit Priamo. Hîc desinit Ilias Homeri. Achilles occiditur à Paride. Metam. lib. 12. Vlysses Achillis arma impetrat. Metam. lib. 13. Sophocles *Aiace*. Philoctetem adducit ad exercitum. Sophocles *Philocteta*. |
| 2819. | 830. | 1187. | Troia capitur. Tryphiodorus & Virgilius Æneidos l. 2. Hectoris filius Astyanax immolatur. Euripid. & Seneca *Troadibus*. Immolatur & Priami filia Polyxena. Euripides *Hecuba*. Hectoris vidua Andromacha Pyrrho nubit. Euripides *Andromacha*. |
| 2822. | 833. | 1184. | Agamemnon occiditur ab Ægisto Thyestis filio. Æschylus & Seneca *Agamemnone*. |
| 2825. | 836. | 1181. | Demophoon Thesei filius Phyllidem deserit. Ouid. epist. 2. |
| 2827. | 838. | 1179. | Latino succedit Æneas post multos errores, de quibus Ouidius epist. 7. & Virgilius Æneid. libris 12. |
| 2829. | 840. | 1177. | Vlysses Ithacam repetit post multos errores, de quibus Ouidius epist. 1. & Metam. lib. 14. Euripides *Cyclope*. Homerus Odysseæ libris 24. |
| 2841. | 852. | 1165. | Electra rustico nuptum datur à matre Clytemnestra. Euripides *Electra*. |
| 2842. | 853. | 1164. | Orestes matrem Clytemnestram occidit. Æschylus *Choephoris*. Sophocles *Electra*. Euripides *Oreste*. |
| 2843. | 854. | 1163. | Orestes furijs actus Tauros proficiscitur, ibique sacrificio destinatur, agnoscitur & seruatur ab Iphigeniâ sorore. Euripides *Iphigenia in Tauris*. |
| 2844. | 855. | 1162. | Orestes ab insania liberatur. Æschylus *Eumenidibus*. |
| 2845. | 856. | 1161. | Orestes Pyrrhum in templo Apollinis interficit Hermiones consilio. Ouidius epist. 8. Orestes dici potest vltimus eorum quos celebrant Poëtarum Græcorum fabulæ. Sequentia secula sunt magis historica. |
| 3187. | 1198. | 819. | Procas Syluius Albanorum rex. Metam. lib. 14. |
| 3210. | 1221. | 796. | Amulius Romuli patruus. Metam. lib. 14. |
| 3253. | 1264. | 753. | Romulus Romam condit. Metam. lib 14. |
| | V.C. | | |
| 3290. | 38. | 716. | Numa Romanorum rex secundus. Metam. lib. 15. |
| 3509. | 257. | 497. | Pythagoras obit. Hunc perperam Ouidius æqualem Numæ facit. Metam. lib. 15. |
| 3526. | 274. | 480. | Xerxes in Græciam traijcit. Æschylus *ἀωτισταῖς Persis*. |
| 3714. | 462. | 292. | Æsculapius Epidauro Romam aduehitur. Metam. lib. 15. |

| ANNI | | | Poëtarum illustres epochæ. |
|---|---|---|---|
| Mundi. | V.C. | Ant.Ch. | |
| 3788. | 536. | 218. | Bellum Punicum II. Silius Italicus libris 17. |
| 3954. | 702. | 52. | Bellum Cæsaris aduersus Pompeium. Lucanus libris 10. |
| 3962. | 710. | 44. | C. Iulius Cæsar occiditur. Metam. lib. 15. |
| | | A.D. | |
| 4067. | 815. | 62. | Octauiam vxorem occidit Nero. Seneca αὐτόπτης Octauia. |
| | | | Poëtarum quos recensuimus nouissimus est Silius Italicus, sub Nerua defunctus A. D. 97. V.C. 850. Vetustissimus autem est Homerus, defunctus nongentis aut paulò plus ante Christi natiuitatem annis. Græcorum Poëtarum corpus edidit P. Rouuerius A. D. 1614. Latinorum A. D. 1610. |



# LECTORI S.

QVisquis es, erudite pieque Lector, qui literis istis faues, & ita quidem vt ob eas nobis quoque bene velis, si quos deprehenderis errores nostros (id verò tibi difficile non erit, cùm & rei natura, & infirmitas nostra sit errori perquam obnoxia) obnixè te rogamus, vt tuas animaduersiones nobiscum priuatim & amicè communicare digneris, vt si fortè post aliquot aristas auctior in lucem prodeat historia nostra, etiam emendatior prodire possit beneficio tuo. Cuiuscunque partis, cuiuscunque gentis erit fidus ille monitor, is erit mihi non modo charus, sed & reuerendus. Veritatem, ex quocunque prodeat ore, excipiam, vt Dei filiam, cum honore, cum veneratione, cum gratiarum actione. Nos consultò solam operis nostri tibi damus ἐγχειρίδιον, vt si monitionibus amicorum sapientior, cohortationibus audacior euadam, tantò securiùs & tutiùs edere possim nostram hanc historiam aliquātò pleniorem & accuratiorem. Quod si deprehenderimus hanc esse vel meam, vel temporis huius infelicitatem, vt paucis placeant conatus nostri, præstabit certè ventorum ludibrio commisisse scapham quàm nauim onerariam. Vale. Sedani VII. Kalend. Nouemb. CIƆ. IƆ. XXII.

HISTO-

# HISTORIÆ SYNOPSIS,

Ab orbe condito vſque ad annum Domini M. DC. XXII.

*PARTIM EX SCRIPTVRA, PARTIM ex Claudij Ptolomæi Canonibus, partim ex alijs Scriptoribus collecta,*

A IACOBO CAPPELLO.





SEDANI,
Typis IOHANNIS IANNONI Academiæ Typographi.

*M. DC. XXII.*

# I. TABVLA CONTINENS SERIEM PAtriarcharum ab Adamo ad Mosem.

| ANNI NATIuitatis | | | ANNI | | ANNVS |
|---|---|---|---|---|---|
| Ante Christum. | Mundi. | | παιδογονίας, | Vitæ. | Mortis. |
| 4005. | 1. | ADAM | 130. | 930. | 931. |
| 3875. | 131. | Seth | 105. | 912. | 1043. |
| 3770. | 236. | Enos | 90. | 905. | 1141. |
| 3680. | 326. | Kainan | 70. | 910. | 1236. |
| 3610. | 396. | Mahalaleel | 65. | 895. | 1291. |
| 3545. | 461. | Iared | 162. | 962. | 1423. |
| 3383. | 623. | Henoch | 65. | 365. | 988. |
| 3318. | 688. | Matusale | 187. | 969. | 1657. |
| 3131. | 875. | Lamech | 182. | 777. | 1652. |
| 2949. | 1057. | NOE | 502. | 950. | 2007. |
| 2447. | 1559. | Sem | 100. | 600. | 2159. |
| | 1657. | DILVVIVM | | | |
| 2347. | 1659. | Arphaxad | 35. | 438. | 2097. |
| 2312. | 1694. | Sala | 30. | 433. | 2127. |
| 2282. | 1724. | Heber | 34. | 464. | 2188. |
| 2248. | 1758. | Phaleg | 30. | 239. | 1997. |
| 2218. | 1788. | Ragau | 32. | 239. | 2027. |
| 2186. | 1820. | Sarug | 30. | 230. | 2050. |
| 2156. | 1850. | Nachor | 29. | 148. | 1998. |
| 2127. | 1879. | Thare | 130. | 205. | 2084. |
| 1997. | 2009. | ABRAHAM | 100. | 175. | 2184. |
| 1897. | 2109. | Isaak | 60. | 180. | 2289. |
| 1837. | 2169. | Iacob | 87. | 147. | 2316. |
| 1750. | 2257. | Leui | 35. | 137. | 2394. |
| 1715. | 2292. | Cahat | 60. | 133. | 2424. |
| 1655. | 2351. | Amram | 78. | 137. | 2488. |
| 1577. | 2429. | MOSES | 80. | 120. | 2549. |
| 1497. | 2509. | Exodus anno Mosis LXXXI. | | | |

# II. TABVLA, CONTINENS SERIEM *Principum Israëlis à Mose ad Roboamum.*

| ANNI | | | | IVDICVM. | | Anni mundi Iudicumque series, ex sententia Iudæorum. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| Ante Christum. | Mundi ex sententia nostra. | | Anni. | Caput. | versus | |
| 1497. | 2509. | Moses | 40. | | | 2448. |
| 1457. | 2549. | Iosue | 13. | | | 2488. |
| 1444. | 2562. | Seniores | 10. | 2. | 7. | |
| 1434. | 2572. | Αναρχία | 9. | 18. | 1. | |
| 1425. | 2581. | Chusan | 8. | 3. | 8. | |
| 1417. | 2589. | Othoniel | 40. | 3. | 11. | 2516. |
| 1377. | 2629. | Eglon | 18. | 3. | 14. | |
| 1359. | 2647. | Ahod | 8. | 3. | 30. | 2596. |
| 1351. | 2655. | Iabin | 20. | 4. | 3. | |
| 1331. | 2675. | Debora | 40. | 5. | 31. | 2636. |
| 1291. | 2715. | Madianitæ | 7. | 6. | 1. | |
| 1284. | 2722. | Gedeon | 40. | 8. | 28. | 2676. |
| 1244. | 2762. | Abimelec | 3. | 9. | 22. | 2716. |
| 1241. | 2765. | Thola | 23. | 10. | 1. | 2719. |
| 1218. | 2788. | Iaïr | 22. | 10. | 3. | 2742. |
| 1196. | 2810. | Ammonitæ | 1. | 10. | 8. | 2764. |
| 1195. | 2811. | Iephte | 6. | 12. | 7. | 2781. |
| 1189. | 2817. | Abesan | 7. | 12. | 9. | 2787. |
| 1182. | 2824. | Aialon | 10. | 12. | 11. | 2793. |
| 1172. | 2834. | Abdon | 8. | 12. | 14. | 2803. |
| 1164. | 2842. | Samson | 20. | 16. | 31. | 2811. |
| 1144. | 2862. | Heli | 40. | I. SAMVELIS. | | 2831. |
| 1104. | 2902. | Samuel | 19. | 4. | 18. | 2871. |
| | | REGES. | | Act. 13. | 21. | |
| 1085. | 2921. | Saul | 24. | I. Reg. 2. | 11. | 2882. |
| 1061. | 2945. | 1. Dauid | 40. | 11. | 42. | 2884. |
| 1021. | 2985. | 2. Salomon | 40. | | | 2924. |
| 1017. | 2989. | Téplum códitur. | | | | |
| 981. | 3025. | 3. Roboam | | | | 2964. |

*IN TABVlam II.*

Iudæi volũt caput Iubilæorum inchoandum anno dominum decimoquintopost trãsitum Iordanis. Id falsum esse constat ex Iubilæorum aliquot notationibus. At id verum esse potest quod Iudæi dicunt, Iosuam obijsse priusquã secundum annum Sabbathicum potuisset celebrare. Ita tredecim tãtum annorum fuit Iosuę principatus. Quid Seniorum principatui, quid ἀναρχίᾳ dandum sit colligimus ex subductione summarum quę nobis cognitę sũt. Ahodi tribuuntur anni שמונים Iudic. III. 30. Ea vox propriè quidem *octoginta* significat, & ita vertitur ab omnibus. Quia tamen etiam *octo* significare potest; nos vt ita potiùs interpretemur, suadet series historiæ. Ammonitæ Iudic. X. 8. Iudæam vexasse dicuntur *anno duodeuicesimo*, Iubilei scilicet. Samueli simul & Sauli tribuuntur anni quadraginta, Act. XIII. 21. Id ὁλοσχερῶς intelligendum, suadet reliquarum, quæ notæ sunt, summarum series, vt in vniuersum ab Exodo numerentur ad quartum Salomonis anni 480. prout docetur I. Reg. VI. 1. Indidem colligimus annos XL. de quibus Iudic. XIII. 1. biennio circiter ante mortem Abesanis inchoandos. Hæc pauca sufficiant ad sententiæ nostrę confirmationem. Iudęorum verò de Iudicum & Regum serie sententiam mutuati sumus ex libro, quem R. David Ganaz A. D. 1592. scripsit, & Germen Dauidis inscripsit.

# III. TABVLA, CONTINENS SERIEM RELIQVARVM

## REGES TRIBVS IVDA.

| ANNI Ante Christum. | ANNI Mundi | | | Regnauit annos | I. REG. Caput. | I. REG. versus. | ANNI Ante Domin. | ANNI Mundi. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 981. | 3025. | Iero- | I. 3. Roboam. | 17. | 14. | 21. | 981. | 3025. |
| 964. | 3042. | boa- | XVIII. 4. Abia | 3. | 15. | 1. | 961. | 3045. |
| 962. | 3044. | mi. | XX. 5. Asa | 41. | 15. | 9. | 960. | 3046. |
| 922. | 3084. | Acha- | IV. 6. Iosaphat | 25. | 22. | 41. | 937. | 3069. |
| 905. | 3101. | bi. | XXI. 7. Ioram I° | 12. | II. REG. | | 936. | 3070. |
| 899. | 3107. | Iora- | V. Ioram II° | 8. | 8. | 15. | 936. | 3070. |
| 892. | 3114. | mi. | XII. 8. Ochosias | 1. | 8. | 25. | 932. | 3074. |
| 891. | 3115. | Ie- | I. 9. Athalia | 6. | 11. | 13. | 925. | 3081. |
| 885. | 3121. | hv. | VII. 10. Ioas | 40. | 12. | 1. | 905. | 3101. |
| 848. | 3158. | Ioasi. | II. 11. Amatsias | 29. | 14. | 1. | 904. | 3102. |
| 820. | 3186. | Ierobo- | XVI. Interregnum. | | | | 891. | 3115. |
| 809. | 3197. | ami. | XXVII. 12. Azarias | 52. | 15. | 1. | 863. | 3143. |
| 758. | 3248. | Peka- | II. 13. Iotham | 16. | 15. | 32. | 849. | 3157. |
| 743. | 3263. | chi. | XVII. 14. Achaz | 16. | 16. | 1. | 835. | 3171. |
| 730. | 3276. | Oseae. | III. 15. Ezekias | 29. | 18. | 1. | 794. | 3212. |
| 701. | 3305. | | 16. Manasses | 55. | 21. | 1. | 772. | 3234. |
| 646. | 3360. | | 17. Amon | 2. | 21. | 19. | 771. | 3235. |
| 644. | 3362. | | 18. Iosias | 31. | 22. | 1. | 771. | 3235. |
| 627. | 3379. | | Inuenit librum legis. | | | | | |
| 613. | 3393. | | 19. Ioachaz | 3. menses. | 23. | 30. | 761. | 3245. |
| 612. | 3394. | | 20. Ioakim | 11. | 23. | 36. | 759. | 3247. |
| 601. | 3405. | | 21. Iechonias | 3. menses. | 24. | 8. | 739. | 3267. |
| 600. | 3406. | | 22. Sedekias | 11. | 24. | 18. | 732. | 3274. |
| 590. | 3416. | | Templum euertitur. | | | | 724. | 3281. |

## IN TABVLAM III.

EX collatione regum à Dauide prognatorum cum reliquis liquidò constat: 1. Sępè annum inchoatum sumi pro absoluto. 2. Sæpè patres ante mortem cum filijs regiam dignitatem cõmunicasse. 3. quosdam bis inauguratos, vt Ioramum in tribu Iuda, Oseam in Ephraïmitide. 4. quædam interregna fuisse.

Azarias regnare quidem cœpit anno mũdi 3197. Sed eius anni nõnunquam ab antecedentis anni Tisri vel Nisan inchoantur. Hinc est quod cùm ab inauguratione Zacariæ ad inaugurationem Pekachiæ fluxerint tantum anni decem & menses septem, tamen Zacarias anno XXXVIII. Pekachias anno quinquagesimo Azariæ regnare cœpisse dicitur, perinde ac si medium interuallum esset annorum duodecim. Sic cùm ab Ezekiæ inauguratione ad inaugurationem Sedekiæ Scriptura numeret tantum annos 128. & menses sex; tamen historiæ series suadet, vt huic interuallo tribuamus annos 130. quod Ezekias, Manasses,

# REGVM TRIBVS IVDAE ET TRIBVVM.

## REGES RELIQVARVM TRIBVVM.

| *Ex nostra sententia.* | | | I. REG. Caput | versus; | *ANNI MVNDI, REGVMQVE series, ex sententia Iudaeorum.* | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| | | Regnauit annos | | | | | | |
| | I. Ieroboam I. | 22. | 14. | 20. | 2964. | Roboam | 2964. | Ieroboam. |
| A | II. 2. Nadab | 2. | 15. | 25. | 2981. | Abia | 2985. | Nadab. |
| | III. 3. Baasa | 24. | 15. | 28. | 2983. | Asa | 2986. | Baasa. |
| S | XXVI. 4. Ela | 2. | 16. | 8. | 3024. | Iosaphat | 3009. | Ela. |
| | XXVII. 5. Zimri | 7. dies. | 16. | 15. | 3047. | Ioram | 3010. | Zimri. |
| A | XXVII. 6. Tibni | 4. | 16. | 21. | | | 3010. | Tibni. |
| | XXXI. 7. Amri | 6. | 16. | 23. | 3055. | Ochosias | 3014. | Amri. |
| E | XXXVIII. 8. Achab | 22 | 16. | 29. | 3056. | Athalia | 3021. | Achab. |
| IOSAPHA- | XVII. 9. Ochosias | 2. | 22. | 52. | 3061. | Ioas | 3041. | Ochosias. |
| | | | II. REG. | | | | | |
| THI | XVIII. 10. Iorā | 12. | 3. | 1. | 3100. | Amatsias | 3043. | Ioram. |
| Athaliæ | I. 11. Iehu | 28. | 10. | 35. | 3115. | Azarias | 3056. | Iehu. |
| IOA- | XXIII. 12. Ioachaz | 17 | 13. | 1. | 3142. | Azarias | 3083. | Ioachaz. |
| SI | XXXVII. 13. Ioas | 16. | 13. | 10. | 3167. | Iotam | 3098. | Ioas. |
| Amatsiæ | XV. 14. Ieroboam II. | 41 | 14. | 22. | 3184. | Achaz | 3114. | Ieroboam. |
| A | XXVII. Interregnum | 22 | 15. | 8. | 3199. | Ezekias | 3153. | Zacarias. |
| Z | XXXVIII. 15. Zacharias | 6. m. | 15. | 14. | 3228. | Manasses | | |
| A | XXXIX. 16. Sallum | 1. mensis. | 15. | 17. | 3283. | Amon | 3154. | Sallum. |
| R | XXXIX. 17. Manahem | 10. | 15. | 23. | 3285. | Iosias | 3154. | Manahem. |
| I | L. 18. Pekachia | 2. | 15. | 27. | 3316. | Ioachaz. | 3164. | Pekachia. |
| Æ | LII. 19. Pekach | 20. | 15. | 30. | 3316. | Ioakim | 3167. | Pekach. |
| IOTAMI | XX. 20. Oseas I° | | 17. | 1. | 3327. | Iechonias | 3187. | Oseas I. |
| ACHAZI | XII. Oseas II° | 9. | 17. | 6. | 3327. | Sedekias | 3195. | Oseas II. |
| EZEKIAE | VI. Samaria subuertitur. | | | | 3338. | Templum euertitur. | 3205. | Captiuitas 10. tribuū. |

Amon, Iosias præter annos qui tribuuntur illis regnare potuerint aliquot menses. Ezekiam enim constat regnare cœpisse primo, Sedekiam quarto hebdomadis anno. Constat, inquam, id ex 2. Reg. XIX. 39. & Ieremiæ XXVIII. 1. XXXIV. 8. Epilogismo nostro Iudæorum epilogismum adiunximus, vt & superioribus tabulis. Et quia plurimum à vero discedunt in interuallo quod statuunt inter Babylonicam captiuitatem & æram Seleucidarum, iuuat hic illorum sententiam exponere, excerptam ex R. Dau. Germ.

*ANNI MVNDI EX IVDÆORVM SENTENTIA.*

3319. Nabuchodonosor.
3364. Euilmerodach.
3386. Balsasar.
3389. Darius Medus.
3390. Cyrus.
3392. Assuerus Esteræ maritus.
3406. Darius Artaxerxes.
3442. Alexander Macedo.
3448. Æra contractuum siue Seleucidarum.
3761. Æra Christi.



# CANONES CLAVDII PTOLOMÆI.

## REGES ASSYRIORVM.

| ANNI Ante Christum. | Vrbis conditæ. | Nabonassari. | | Regnauit annos |
|---|---|---|---|---|
| 747. | 7. | 1. | I. Nabonassar | 14. |
| 733. | 21. | 15. | II. Nadius | 2. |
| 731. | 23. | 17. | III. Chezirus, vel Porus | 5. |
| 726. | 28. | 22. | IV. Iugæus, vel Ilulæus | 5. |
| 721. | 33. | 27. | V. Mardocempad | 12. |
| 709. | 45. | 39. | VI. Arcianus | 5. |
| 704. | 50. | 44. | Interregnum I. | 2. |
| 702. | 52. | 46. | VII. Belibus | 3. |
| 699. | 55. | 49. | VIII. Apronadius | 6. |
| 693. | 61. | 55. | IX. Rigibelus | 1. |
| 692. | 62. | 56. | X. Mesessi-cardac | 4. |
| 688. | 66. | 60. | Interregnum II. | 8. |
| 680. | 74. | 68. | XI. Assaradinus | 13. |
| 667. | 87. | 81. | XII. Saosducmus | 20. |
| 647. | 107. | 101. | XIII. Chuniladanus | 22. |
| 625. | 129. | 123. | XIV. Nabopolassar | 21. |
| 604. | 150. | 144. | XV. Nabocodolassar | 43. |
| 561. | 193. | 187. | XVI. Euilmerodac | 2. |
| 559. | 195. | 189. | XVII. Neriglassoares | 4. |
| 555. | 199. | 193. | XVIII. Nabonadius | 17. |

## REGES PERSARVM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 538. | 216. | 210. | I. Cyrus | 9. |
| 529. | 225. | 219. | II. Cambyses | 8. |
| 521. | 233. | 227. | III. Darius I. | 36. |
| 485. | 269. | 263. | IV. Xerxes | 21. |
| 464. | 290. | 284. | V. Artaxerxes I. | 41. |
| 424. | 330. | 325. | VI. Darius II. | 19. |
| 405. | 349. | 344. | VII. Artaxerxes II. | 46. |
| 359. | 395. | 390. | VIII. Ochus | 21. |
| 338. | 416. | 411. | IX. Arses | 2. |
| 336. | 418. | 413. | X. Darius III. | 4. |

## REGES GRÆCORVM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 332. | 420. | 417. | I. Alexander I. | 8. |
| | Ab Alexandri morte. | | | |
| 324. | 430. | 1. | II. Aridæus | 7. |
| 317. | 437. | 8. | III. Alexander II. | 5. |

## REGES GRÆCORVM IN ÆGYPTO.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 312. | 442. | 13. | I. Ptolemæus Lagi F. | 27. |
| 285. | 469. | 40. | II. Pt. Philadelphus | 38. |
| 247. | 507. | 78. | III. Pt. Euergetes | 25. |
| 222. | 532. | 103. | IV. Pt. Philopator | 17. |
| 205. | 549. | 120. | V. Pt. Epiphanes | 24. |
| 181. | 573. | 144. | VI. Pt. Philometor | 35. |
| 146. | 608. | 179. | VII. Pt. Euergetes II. | 29. |
| 117. | 637. | 208. | VIII. Pt. Soter | 36. |
| 81. | 673. | 244. | IX. Pt. Dionysius | 29. |
| 52. | 702. | 273. | X. Cleopatra | 22. |

## JMPERATORES ROMANORVM.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| 30. AnniChristi. | 724. | 295. | I. Augustus | 45. |
| 14. | 767. | 338. | II. Tiberius | 22. |
| 36. | 789. | 360. | III. Caius | 4. |
| 40. | 793. | 364. | IV. Claudius | 14. |
| 54. | 807. | 378. | V. Nero | 14. |
| 68. | 821. | 392. | VI. Vespasianus | 10. |
| 78. | 831. | 402. | VII. Titus | 3. |
| 81. | 834. | 415. | VIII. Domitianus | 15. |
| 96. | 849. | 420. | IX. Nerua | 1. |
| 97. | 850. | 421. | X. Traianus | 19. |
| 116. | 869. | 440. | XI. Adrianus | 21. |
| 137. | 890. | 461. | XII. Antoninus | 23. |
| 160. | 913. | 484. | XIII. M. Aurelius. | |



# IN CL. PTOLOMÆI Canonas Notæ.

| Generationes. | *Anni* Mundi. | *Anni* Christi | Docet annos | |
|---|---|---|---|---|
| | 4430. | 670. | Rabba | 19. |
| I. | 4449. | 689. | Chanina. | 8. |
| | 4457. | 697. | Chila | 18. |
| II. | 4475. | 715. | Iacob | 18. |
| | 4493. | 733. | Samuel | 18. |
| III. | 4511. | 751. | Meri | 8. |
| | 4519. | 759. | Adda | 1. |
| | 4520. | 760. | Iudæus | 3. |

Is composuit הלכות פסוקות enarrationes gnomicas.

### SVRÆ.

| *Anni* Mundi. | *Anni* Christi. | |
|---|---|---|
| 4449. | 689. | Hona. |
| | | Chija. |
| 4479. | 719. | Mar-Ioneka. |
| | | Iuda. |
| | | Ioseph. |
| | | Samuel Meri F. |
| 4501. | 741. | Simeon. Is cõposuit magñas הלכות enarrationes. |
| | | Acha. |
| | | Natronæus. |

GENERATIONES.

## POMBADITÆ.

| Generatio | ANNI Mundi. | ANNI Christi. | | |
|---|---|---|---|---|
| | 4523. | 763. | Achonæus. Sadducæi vires recolligunt Anani præsidio | |
| | 4528. | 768. | Meri Leuita | 4. |
| | 4532. | 772. | Bibi Leuita | 11. |
| IV. | 4543. | 783. | Bar Abba. | 8. |
| | 4575. | 815. | Achonæus | 7. |
| | 4582. | 822. | Ioſeph. | 2. |
| | 4584. | 824. | Abraham | 10. |
| V. | 4594. | 834. | Ioſeph. | 2. |
| | 4596. | 836. | Iſaac | 3. |
| | 4599. | 839. | Io ſeph | 2. |
| | 4601. | 841. | Palthui | 10. |
| | 4611. | 851. | Mattathias | 10. |
| | 4621. | 861. | Rabba | 3. |
| | 4624. | 864. | Tſemach | 9. |
| | 4653. | 893. | Achonæus | 6. |
| | 4659. | 899. | Iuda | 12. |
| | 4671. | 911. | Mebaſſer. | 24. |
| | 4695. | 935. | Chananias | 6. |
| | 4701. | 941. | Aaron | 1. |
| | 4702. | 942. | Nehemias | 26. |
| | 47[illegible]8. | 968. | Sarira | 30. |
| | *Centenarius obijt. Abdicans filio reſignauit. Scripſit librum* תשובה. | | | |
| | 4758. | 998. | Iia | 39. |
| | 4798. | 1038. | Ezekias | 2. |

## SVRÆ.

| ANNI Mundi. | ANNI Christi. | | |
|---|---|---|---|
| 4521. | 761. | Iodæus. | 6. |
| 4527. | 767. | Chananias | 4. |
| 4531. | 771. | Malachias | 2. |
| 4533. | 773 | Chaninæus 9. Abdicatur ab Æchmalotarcha. | |
| 4542. | 782. | Hona | 1. |
| 4543. | 783. | Manaſſes | 5. |
| 4548. | 788. | Abraham | 3. |
| 4551. | 791. | Chilæus | 9. |
| 4560. | 800. | Iacob | 18. |
| 4578. | 818. | Iſomæus | 8. |
| 4586. | 826. | Iſaac | 12. |
| 4598. | 838. | Chilæus | 4. |
| 4602. | 842. | Kimui | 4. |
| 4606. | 846. | Vacat | 2. |
| 4608. | 848. | Cohen-tsedek | 10. |
| 4618. | 858. | Sarſchalom | 10. |
| 4628. | 868. | Matronæus | 5. |
| 4633. | 873. | Omnam | 18. |
| *Is miſit ordinem precum in Hiſpaniam.* | | | |
| 4651. | 891. | Naaſſon | 8. |
| 4659. | 899. | Tſemach | 7. |
| 4666. | 906. | Chilæus | 6. |
| 4673. | 913. | Iacob | 13. |
| 4686. | 926. | Saadias | 2. |
| 4688. | 928. | Ioſeph | 14. |
| 4702. | 942. | Saadias obijt. | |
| *Is eſt ſcholiaſtarum vetuſtiſſimus.* | | | |

Occiſus eſt iuſſu regis. Huius filij fugerunt in Hiſpaniam. Iis defunctis in Hiſpaniæ nemo prodijt, qui ſe profiteretur ortum à Dauide. Poſt mortem Ezekiæ, qui ſimul Academiæ princeps erat & Æchmalotarcha deſierunt Geonitæ & Academiæ. Hæc Cabbala. Ganaz verò, *Florebant tum Maſoretarum celeberrimi Aſeris & Nephtalimi filij.*

| | *ANNI* | | *HISPANI, MAximè Cordubenses.* |
|---|---|---|---|
| | Mundi. | Christi. | |
| I. | 4775. | 1015. | Samuel Leuita fit Nagid. |
| | 4780. | 1020. | Samuel Leuita fit Scriba regis Philistinorum. |
| | 4815. | 1055. | Ioseph ob superbiā occiditur à Philistinis 9. die Thebet. |
| | 4824. | 1064. | Chananeel. Horū trium æqualis fuit Nalim. |
| II. | 4848. | 1088. | Isaac Iacobi F. in Hispaniam venit, ac Chananeelis discipulus, dein successor fuit ann. 15. Huic coæui fuere quatuor alij Isaaci doctrina celebres. |
| III. | 4863. | 1103. | Ioseph Leuita Meiris F. natus annos 26. Isaaco succedit annos 38. |
| | 4901. | 1141. | Meir Iosephi F. paulò post mortem patris fugere cogitur, ob strages horrendas, quas edebat Temurath. |
| | 4902. | 1142. | Iudæos vndique profligat Temurath. |

Hactenus Abraham Dauidis F. in Cabbala, qui generationes quatuordecim numerat à consignatione Talmudis ad A. M. 4921. Christi 1161. quo scribebat, antecedētibus seculis tribuit generationes viginti duas ad Synagogam vsque Magnam. Colliguntur in vniuersum generationes triginta sex.

A. D. 1538. Bononiæ typis editus est Commentarius in libros *Cetubim*, & in paruum Pentateuchum, auctore R. Iosepho, qui se suosque maiores vocat *Don*, ac stemma suum ita describit. Iechias princeps Iudęorum qui delati sunt in Hispaniam, Iudas, Ioseph *I.* Salomon, Godolias, Dauid *I.* Salomon, Ioseph *II.* Dauid *II.* Ioseph *III.* Dauid *III.* Ioseph *IV.*

## *EX ZACVTO.*

Abraham Zacut in libr. *Iuchasim* primis quidem folijs circiter viginti, Chronologicam Doctorum suorum seriem contexit, quanquam admodum perturbatè. Deinde, multὸ πλατυκώτερον, ὡς ἔτυχε, quidquid vsquam legit, id chartis suis inserit, donec confusionis suæ pertęsus, incipit catalogos aliquot alphabeticos contexere, primum quidem Horæorum, fol. 50. tum Amoręorum fol. 69. tum retexit generationum aliquot seriem fol. 105. petitam ex libro cui titulus est בעל דולות. Annos modo mundi, modo Seleucidarum adscribit, sed rarò. Fol. 107. describuntur excerpta quædam ex Sariræ responsionibus. Fol. 134. Sequitur ὁλοσχερὴς distributio temporum in tempora decem. Fol. 152. Decimum tempus inchoatur ab Othomannorum ortu sub Alberto.

## EX DAVIDIS GANAZI GERMINE.

| *ANNI* | | | *NOVISSIMI Judæorum Doctores.* |
|---|---|---|---|
| Mundi. | Seleucidar. | Christi. | |
| 4865. | 1417. | 1105. | Salomon Iarchi Isaaci F. qui multa scholia scripsit in Talmud & in Scripturā. |
| 4866. | 1418. | 1106. | Natan scribit dictionarium Talmudicum, cui titulus est *Aruc.* |
| 4881. | 1433. | 1121. | Minus Hebræorū Chronic. absoluitur. |
| 4921. | 1473. | 1161. | Abraham Dauidis F. Cabbalam scribit. |
| 4930. | 1482. | 1170. | Tam Iacobi F. Salomonis Iarchitæ ex filia N. scribit librum *Iaschar.* |
| 4913. | 1465. | 1153. | Abrahā Meiris F. Esdrę N. vulgo Aben Esra, scribit in Exod. |
| 4917. | 1467. | 1157. | Aben Esra scribit in Danielem. |
| 4934. | 1486. | 1174. | Aben Esra sepelitur in Iudæa. |
| 4950. | 1502. | 1190. | Dauid & Moses Kimchi fratres florēt |
| 4954. | 1506. | 1194. | Moses Nachmanis F. vulgò *Ramban* Gerundensis. |
| 4904. | 1446. | 1134. | Moses Maimonis F. nascitur in Ægypto |
| 4927. | 1469. | 1157. | Annos 23. natus inchoat Talmudis Epitomem, cui titulus est *Misna*, vel *Iad.* |
| 4935. | 1477. | 1165. | Annos 31. natus, scribit præfat. Misnę |
| 4945. | 1487. | 1175. | Annos 41. natus, scribit de Iubileis anno Sabbathico, vt ipse testatur Misnę fol. 449. |
| 4964. | 1516. | 1204. | Annos 70. minus dieb. 83. natus, obit, teste Zacut fol. 131. |
| 4996. | 1548. | 1236. | Moses de Kotsi scribit librū de mandatis 613. |
| 5098. | 1650. | 1338. | Leui Gersonis F. Mosis Nachmanidę ex filia N. scribit in Samuelem. |
| 5262. | 1814. | 1502. | Abrah. Zacut scribit librum *Iuchasim.* |
| 5269. | 1821. | 1509. | Don *Isaac* Abarbinel. |
| 5237. | 1789. | 1477. | Elias Leuita Germanus nascitur. |
| 5277. | 1829. | 1517. | Scribit librum *Bachur.* |
| 5298. | 1850. | 1538. | Scribit librum de Masora. |

# *FINIS.*



# ECCLESIÆ IVDAICÆ
## CENTVRIA NOVISSIMA.

---

*Annis ante Dominum, h. e. ante Dionysianam, siue receptam Domini nostri Iesu Christi æram 63. Anno ab vrbis Romæ conditu, secundum Catonem 690. secundum Varronem 691. Cyclo Solis 3. cui conuenit litera Dominicalis D. Cyclo Lunæ 15. cui conueniebant eo seculo Epactæ nouem. M. Tullio Cicerone, C. Antonio Nepote Coss.*

HISTORIAE nostræ nouissimus annus primus erit huius Synopseos, vt initium ducat ab Augusti, sub quo natus est Christus, natiuitate, & ab Hyrcani primo. C. Octauium, qui postea Cæsar Augustus dictus est, his Coss. IX. Kal. Octobreis natum docet Suetonius lib. 2. cap. 5: Hyrcanus ab Aristobulo fratre sacerdotio spoliatus, ita Pompeij beneficio recuperauit sacerdotium ac Iudææ principatum, vt eâdem operâ suam ac Iudææ libertatem Romanis vendiderit. Dio lib. 36. testatur Hierosolymitanos à Pompeio captos Sabbatho. Iosephus Antiquit. lib. 14. c. 8. *Capta est vrbs tertio mense*, nempe Tamuz, initio ducto ab Iiar: Causam indicauimus ad annum Vrb. cond. 612. *Die ieiunij*, i. Tamuz XVII. *Olympiade* CLXXIX. h. e. primo Olympiadis CLXXIX. anno exeunte. *C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coss.* Tempus conuenit cum Iulij quarto.

---

*Ante Dn. 62. V. C. 692. Pomp. VIII. Solis 4. C. Lunæ 16. Epact. 20. D. Iunio Silano L. Iunio Muræna Coss.*

Catilina prælio vincitur à C. Antonio. C. Cæsar Pompeiam vxorem repudiat, ob adulterium cum P. Clodio Pulchro perpetratum, in sacris Bonæ Deæ. Pompeij principatus anni variè possunt inchoari, nos eos inchoamus ab eius primo Consulatu.

*Ante Dn.61. V.C.693. Pompeij IX. Solis 5. B.A. Lunæ 17. Epact. 1. M. Puppio Pisone, M. Valerio Messala Coss.*

Q. Catulus princeps Senatus moritur, *Dio lib. 37.* Heluetij consilium capiunt inuadendæ post triennium Galliæ. *Cæsar lib. 1.*

*Ante Dn. 60. V.C. 694. Pompeij X. Solis 6. G. Lunæ 18. Epact. 12. Olympiade CLXXX. Afranio Nepote, Q. Cæcilio Metello Coss.*

Diodorus Siculus Ægyptum lustrat, Olymp. 180. vt ipse testatur lib. 1.

*Ante Dn. 59. V.C. 695. Pompeij XI. Solis 7. F. Lunæ 19. Epact. 23. C. Iulio Cæsare M. Calphurnio Bibulo Coss.*

Cæsar filiam suam dat Cn. Pompeio. Ita specie cõcordiæ firmari videbatur vtriusque potentia, iam ciuilem modum egressa.

*Ante Dn. 58. V.C. 696. Pompeij XII. Solis 8. E. Lunæ 1. Epact. 6. L. Calpurnio Pisone, A. Gabinio Nepote Coss.*

P. Clodius Tribunus plebis Ciceronem in exilium pellit. Heluetij Galliam inuadentes à Cæsare profligantur. *Cæsar libr. 1.*

*Ante Dn. 57. V.C. 697. Pomp. XIII. Solis 9. D.C. Lunæ 2. Epact. 17. P. Cornelio Lentulo Spinthere, Q. Cæcilio Metello Nepote Coss.*

T. Annius Milo Trib. pleb. Ciceronem ab exilio reuocat. Pt. Dionysius Ægypti rex à subditis regno pulsus. Romam fugit.

*Ante Dn. 56. V.C. 698. Pomp. XIV. Solis 10. B. Lunæ 3. Epact. 28. Olymp. 181. Cn. Cornelio Lentulo, L. Marcio Philippo Coss.*

Ægyptijs Romæ suum regem accusantibus, Senatus Sibyllini cuiusdam oraculi obtentu, vetat ne Pt. Dionysius in suum regnum reducatur.

*Ante Dn. 55. V.C. 699. Pompeij XV. Solis 11. A. Lunæ 4. Epact. 9. Cn. Pompeio Magno II. M. Licinio Crasso II. Coss.*

T. Lucretius Poëta moritur, eodemque die P. Virgilius togam virilem sumit. Gabinius Pompeij iussu contra Senatus interdictum, Pt. Dionysium in regnum reducit. *Dio lib. 39.*

*Ante Dn. 54. V.C. 700. Pomp. XVI. Solis 12. G. Lunæ 2. Epact. 20. L. Domitio Ahenobarbo, Appio Claudio Pulchro Coss.*

Hos Coss. septingentesimo vrbis conditę anno creatos testatur Dio lib. 39. Crassus iniquo bello Mesopota-

miam & Parthos aggreditur. *Dio lib. 4.*

---

*Ante Dn. 53. V. C. 701. Pompeij 17. Solis 13. F. Lunæ 6. Epact. 1. Cn. Domitio Caluino, M. Valerio Messala Coss.*

Cicero Miloni Consulatum ambit, magno, sed irrito conatu, resistente P. Clodio.

---

*Ante Dn. 52. V. C. 702. Pomp. 18. Solis 14. D. Lunæ 7. Epact. 12. Olymp. 182. Cn. Pompeio Magno III. Q. Cæcilio Scipione Coss.*

T. Milo P. Clodium occidit, & eam ob causam in exilium pellitur.

---

*Ante Dn. 51. V. C. 703. Pompeij 20. Solis 15. C. Lunæ 8. Epact. 23. Seruio Sulpitio Rufo, M. Claudio Marcello Coss.*

Appio Claudio succedit M. Tullius in Ciliciæ proconsulatu. Gallico bello finem imponit Cæsar, & ad Italiam accedit, triumphum & Consulatum petiturus. Ipsius hostes publicæ libertatis obtentu, contendunt Consulatum non ab armato in Gallia, sed à candidato Romæ petendum. Cæsar negabat æquum esse vt ad hostes armatos inermis accedat. Exuant ipsi priores arma, se quoque inermem accessurum.



---

*Ante Dn. 50. V. C. 704. Pomp. 21. Solis 16. B. Lunæ 9. Epact. 4. L. Æmilio Paulo, C. Claudio Marcello Coss.*

Inter belli ciuilis portenta numerat Dio libr. 41. magnam Solis eclipsim, quæ cõtigit Sextilis XXI. feriâ primâ. Cæsar Galliam rursus lustrat, in eaque rebus ex animi sententiâ compositis, cùm crederet honestas à se propositas conditiones, decernit ab inuitis extorquendum, quod à volentibus impetrare non poterat. Videlicet ea iam erat Cæsaris & Pompeij tum ambitio, tum potentia, vt cùm ferre non posset Cæsarve priorem, Pompeiusve parem, necesse esset alterum alteri cedere.

---

*Ante Dn. 49. V. C. 705. Pomp. 22. Solis 17. A. G. Lunæ 10. Epact. 15. C. Claudio Marcello, L. Cornelio Lentulo Coss.*

Cæsar Pompeio fugato, Romam & Italiam totam occupat, dein Africam, Hispaniam, Massiliam.

---

*Ante Dn. 48. V. C. 706. P. Cæsaris 1. Solis 18. F. Lunæ 11. Epact. 26. Olymp. 183. C. Iulio Cæsare II. P. Seruilio Vatia Coss.*

Pompeius à Cæsare profligatur in Thessalia, fugiens in Ægyptum à Pt. Dionysij filio iugulatur, certè à tutoribus eius, qui Cæsarem quoq; magnum in discrimen adduxerunt.

---

*Ante Dn.* 47. *V.C.*707. *Cæsaris* 2. *Solis* 19. *E. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *Q. Fusio Caleno, P. Vatinio Nepote Coss.*

Cæsar rebus in Ægypto compositis, in Pontum excurrit, & Pharnacem tanta celeritate debellat, vt Senatui scripserit, *Veni, vidi, vici.*

---

*Ante Dn.* 46. *V.C.*708. *Cæsaris* 3. *Solis* 20. *D. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *C. Julio Cæsare III. M. Aimilio Lepido Coss.*

Cæsar Scipiones in Africa tumultuantes profligat, & Cn. Pompeium Magni F. in Hispania. Annum confusissimum ordinaturus, iubet huic anno dari dies 445. vt sequens Ianuarius incipiat à Nouilunio, Capricorni IX. Sequẽs autem Iulius à Cancri VIII. cùm putaret solstitia fieri circa signorum octauas partes.

---

*Ante Dn.* 45. *V.C.*709. *Cæsaris* 4. *Solis* 21. *C.B. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *C. Julio Cæsare IV. Cos. sine collega.*

Cæsar in Hispania belli ciuilis reliquias persequitur.

---

*Ante Dn.* 44. *V.C.* 710. *Cæsaris* 5. *Solis* 22. *A. Lunæ* 15. *Epact.* 10. *Olymp.* 184. *C. Iulio Cæsare V. M. Antonio Nepote Coss.*

Cæsar occiditur Idibus Martijs. C. Octauius à proauunculo suo Cæsare adoptatus ac hæres relictus, paternæ necis vltionem obtendens, paulatim imperium inuadit, ac primò Cæsar, dein Augustus dicitur. Olympiadis hoc anno celebratæ meminit M. Tullius ad Atticum lib. 16. epist. 7.

---

*Ante Dn.* 43. *V.C.* 711. *Augusti* 1. *Solis* 23. *G. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *C. Vibio Pansa, A. Hirtio Nepote Coss.*

Ambo Coss. occiduntur sub Martij finem. Cæsar Consulatum inuadit, dein abdicat, ac in Ventidium transfert. M. Antonium & M. Lepidum aliquandiu persecutus, mox cum ijs reconciliatur ac Triumuiratum inuadit: Ita cruenta proscriptione grassatur in hostes quisque suos.

---

*Ante Dn.* 42. *V.C.* 712. *Augusti* 2. *Solis* 24. *F. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *M. Aimilio Lepido, L. Munatio Planco Coss.*

C. Cassius & M. Brutus in campis Philippicis prælio victi, suâ manu pereunt. *Dio lib.* 47. Inter cæteros, quos laniena triumuiralis absumpsit, perierunt inimicissimi duo C. Verres & LXIV. annum agens M. Tullius Cicero.

---

*Ante Dn* 41. *V.C.* 713. *Augusti* 3. *Solis* 25. *E.D. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *L. Antinio Pietate, P. Seruilio Vatia Coss.*

Triumuiri miserorum ciuium agros pro arbitrio militibus distribuunt. *Virgil. Eclog. 1.* Sext. Pompeius Siciliam obtinens cum Triumuiris fœdus init. *Dio lib. 48.*

---

*Ante Dn. 40. V. C. 714. Augusti 4. Solis 26. C. Lunæ 19. Epact. 24. Cn. Domitio Caluino II. C. Asinio Pollione Coss.*

Antigonus Hyrcano fratri sacerdotium eripit. Fugit Hyrcanus quidem in Babyloniam, Herodes autem Romam, vbi Iudçæ rex à Senatu pronuntiatur. *Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 8.*

---

*Ante Dn. 39. V. C. 715. Augusti 5. Solis 27. B. Lunæ 1. Epact. 6. L. Martio Censorino, C. Caluisio Sabino Coss.*

Herodes Ioppem capit. *Joseph. Antiquit. lib. 14. cap. 27.* M. Antonius Gręciam latrocinijs infestat. *Dio lib. 48.*

---

*Ante Dn. 38. V. C. 716. Augusti 6. Solis 28. A. Lunæ 2. Epact. 17. Appio Claudio Pulchro, C. Nortano Flacco Coss.*

Initium æræ, quam Hispanicam vocant.

---

*Ante Dn. 37. V. C. 717. Augusti 7. Solis 1. G. F. Lunæ 3. Epact. 28. M. Vipsanio Agrippa, L. Caninio Gallo Coss.*

Herodes Hierosolyma capit anno Sabbathico, exeunte scilicet anno 27. postquam à Pompeio capta fuerant, die ieiunij, Tamuz XVII. Sabbatho, Iulij XIII. exeunte quadriennio Olympiadis 185. *Dio lib. 49. Joseph. Antiquit. lib. 14. cap. 28. & lib. 15. cap. 1.*

---

*Ante Dn. 36. V. C. 718. Augusti 8. Solis 2. E. Lunæ 4. Epact. 29. Olymp. 186. L. Gellio Poplicola, M. Cocceio Nerua Coss.*

Antigonus Antonij iussu securi percutitur, annis 126. ex quo principatum inuaserant Asamonæi. Herodes sacerdotium summum Ananelo largitur. *Joseph. Antiq. lib. 14. cap. vlt.* Hinc Iosephus & reliqui Iudęi plerumque solent annos Herodis inchoare. Cæsar M. Lepidum & Sext. Pompeium debellat, ita tamen vt eius agnato Consulatum in sequentem annum & illi Lesbium secessum largiatur. *Dio lib. 49.*

---

*Ante Dn. 35. V. C. 719. Augusti 9. Solis 3. D. Lunæ 5. Epact. 12. L. Cornificio, Sext. Pompeio Sext. F. Coss.*

Sext Pompeius Cn. F. ab Antonio debellatur & occiditur. *Dio lib. 49.* Herodes Ananelo submoto, sacerdotium dat Aristobulo Mariammes vxoris suæ fratri, Alexandri & Alexandræ filio, Aristobuli & Hyrcani nepoti septemdecim annos nato. *Ioseph. Antiquit. lib. 15. cap. 3.*



*Ante Dn.34. V C.720. Augusti 10. Solis 4. C. Lunæ 6. Epact.1. M. Antonio Nepote II. L. Scribonio Libone Coß.*

Herodes Aristobulum Asamonæorum vltimum ex insidijs occidit. *Iosephus lib.15. cap.3.* Hinc est quod Epiphanius & Eusebius ab anno sequente principatum Herodis inchoant, non sine ratione, sed illud malè, quod ab Aristobuli nece 37. annos Herodem regnasse putant.

*Ante Dn.33. V.C.721. Augusti 11. Solis 5. B.A. Lunæ 7. Epact. 12. Octauiano Cæsare II. L. Volcatio Tullo Coß.*

Herodes Costobari, cui sororem suam Salomen nuptum dederat, insidias detegit, eiq; parcit. *Ioseph.l.15.c.5.*

*Ante Dn.32. V.C.722. Augusti 12. Solis 6. G. Lunæ 8. Epact. 23. Olymp. 187. Cn. Domitio Abenobarbo, C. Sosio Nepote Coß.*

T.Pomponius Atticus 77. annos natus, inedia vitam finit, prid. Kal. April. vt testatur Cornelius Nepos in eius vita. M. Antonius Octauiam Cæsaris sororem repudiat, ab eo scilicet conuitijs proscissus, in eundem conuitiorum plaustra regerebat. *Dio lib. 50.*

*Ante Dn.31. V. C.723. Augusti 13. Solis 7. F. Lunæ 9. Epact. 4. Cæsare Octauiano III. M. Valerio Messala Coß.*

M. Antonium ad Actium prælio nauali debellat Cæsar, IV. Non. Sept. *Dio l.50.& 51. Ioseph. Ant. l.15. cap.6.7.8.*

*Ante Dn.30. V. C.724. Augusti 14. Solis 8. E. Lunæ 10. Epact. 15. Cæsare Octauiano IV. M. Licinio Crasso Coß.*

M. Antonius & Cleopatra sibi mortem consciscunt, 294. annis post Alexandri mortem. *Clemẽs Strom. lib.1.* Philo de sua legatione pag. 783. trecentos annos decem Ptolemæis tribuit, initio videl. ducto ab excidio regni Persici.

*Ante Dn.29. V. C.725. Augusti 15. Solis 9. D. C. Lunæ 11. Epact. 26. Cæsare Octauiano V. Sext. Apuleio Nepote Coß.*

Ægyptus in prouinciam redacta, cogitur quadriennijs singulis more Romano diem vnum addere, cùm antehac Ægyptiorum annus nunquam habuisset plures diebus 365. Cùm igitur hoc anno primus eorum mensis incidisset in IV. Kalend. Septemb. deinceps ab eâdem die semper initium duxit ciuilis Ægyptiorum annus. Sed Astrologi pristinam anni formam vt plurimum retinuerunt. Herodes vxorem suam Mariammem veneficij insimulatam morte plectit, mox desiderat. *Ioseph. Antiquit. lib. 15. cap.11.*

*Ante Dn.28. V. C.726. Augusti 16. Solis 10. B. Lunæ 12. Epact. 7. Cæsare Octauiano VI. M. Vipsanio Agrippa II. Coß.*

Cæsar lustrum condit annis 41. post vltimum lustrum. *Lapis Ancyranus, Eusebius.* Herodes Alexandram Mariammes vxoris suæ matrem occidit. *Ioseph. Antiq. lib. 15. cap. 11.*

---

*Ante Dn. 27. V. C. 727. Augusti 17. Solis 11. A. Lunæ 13. Epact. 18. Imper. Cæsare Augusto VII. M. Vipsanio Agrippa III. Coss.*

Qui primò C. Octauius, dein Cæsar Octauianus, hoc anno Cæsar Augustus dici cœpit, ac censum ante biennium inchoatum absoluit, nouamque prouinciarum distributionem instituit. *Dio lib. 52. & 53. Censorinus.* Hinc est quod quinquennalium Augusti descriptionum, siue censuum caput ab hoc anno repetendum sit.

---

*Ante Dn. 26. V. C. 728. Augusti 18. Solis 12. G. Lunæ 14. Epact. 29. Imperat. Cæsare Augusto VIII. T. Statilio Tauro II. Coss.*

Herodis soror Salome maritum Costobarum repudiat contra leges. In Herodem coniurant Hierosolymitani decem. Coniuratos crudeliter excarnificat Herodes. Ita grauiter vtrinque exasperantur animi. *Ioseph. Antiquitat. lib. 15. cap. 11.*

---

*Ante Dn. 25. V. C. 729. Augusti 19. Solis 13. F. E. Lunæ 15. Epact. 10. Imperat. Cæsare Augusto IX. M. Iunio Silano Coss.*

Herodes odio Hierosolymitanorum Samariam instaurat. Superuenit fames *tertiodecimo Herodis anno*, inquit Ioseph. lib. 15. cap. 11. hoc est anno XIII. ex quo ceperat Hierosolyma. Hanc famem immẽsa liberalitate subleuat, ac ita Iudæorum gratiam sibi conciliat.

---

*Ante Dn. 24. V. C. 730. Augusti 20. Solis 14. D. Lunæ 16. Epact. 21. Olymp. 188. Imp. Augusto X. C. Norbano Flacco Coss.*

Zenodorus apud Augustum & Varronem Syriæ præsidem accusatur. Augustus Trachonitidem & Auranitidem Zenodoro ereptas, Herodi largitur, & potestatem dat instituendi, quem vellet, hæredis. *Ioseph. Antiquitat. lib. 15. cap. 13.*

---

*Ante Dn. 23. V. C. 731. Augusti 21. Solis 15. C. Lunæ 17. Epact. 2. Imperat. Cæsare Augusto XI. Cn. Calpurnio Pisone Coss.*

Agrippa secedit in insulam Lesbon, ibique visitatur ab Herode. Senatus Augusto Dictaturam perpetuam sæpè iam oblatam pertinaciter recusanti, Tribunitiam potestatem & Imperium proconsulare perpetuum offert. *Dio l. 53. Ioseph. Antiquit. lib. 15. cap. 13.* Moritur Marcellus Augusti gener, & ex sorore filius: is, inquam, de quo Virgilius Æneid. 6. dicit; *Hunc tantum terris ostendent fata.*



*Ante Dn.* 22. *V. C.* 732. *Augusti* 22. *Solis* 16. *B. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *M. Claudio Marcello, L. Arruntio Nepote Coss.*

Quinquennalium Augusti descriptionum secunda, siue secundus Augusti census, cuius occasione Censuram perpetuam illi Senatus offert, quam tamen Augustus recusauit.

---

*Ante Dn.* 21. *V. C.* 733. *Augusti* 23. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 19. *Epact.* 24. *Q. Aimilio Lepido, M. Lollio Coss.*

Augustus Agrippam à Lesbico secessu reuocat, eique dat filiam suam Iuliam, Marcelli viduam. *Dio lib.* 54. Herodes Cæsaream condere incipit, in eo portu quo priùs fuerat turris Stratonis. *Ioseph. Antiquit. lib.* 15. *cap.* 13.

---

*Ante Dn.* 20. *V. C.* 734. *Augusti* 24. *Solis* 18. *F. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *Olymp.* 190. *M. Apuleio Nepote, P. Silio Nerua Coss.*

Augustus ex insula Samo venit in Syriam XVII. Herodis anno. Is quæ Zenodoro supererant vrbes, Paneadem, Vlatam, & alias Herodi donat. Herodes Paneade templum Augusto consecrat, eumque Cæsaream vocat. *Dio lib.* 54. *Ioseph. Antiq. lib.* 15. *cap.* 13.



*Ante Dn.* 19. *V. C.* 735. *Augusti* 25. *Solis* 19. *E. Lunæ* 2. *Epact.* 17. *C. Sentio Saturnino, Q. Lucretio Vespillone Coss.*

Augustus ex Syria per Græciam in Italiam rediens, Virgilium Athenis nactus secum in Italiam reducit. Is in itinere Brundusij moritur, X. Kalend. Octobr. *Dio lib.* 54. *Seruius.* Herodes XVIII. sui principatus anno sanctuarium euertit, vt illi redderet altitudinem Salomonicæ similem. *Ioseph. Antiquit. lib.* 15. *cap.* 14. Hæc instauratio cœpit sub autumnum huius anni.

---

*Ante Dn.* 18. *V. C.* 736. *Augusti* 26. *Solis* 20. *D. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *P. & Cn. Cornelio Lentulo Coss.*

Augustus Agrippam in Tribunitiæ potestatis cōsortium assumit. *Dio l.* 54.

---

*Ante Dn.* 17. *V. C.* 737. *Augusti* 27. *Solis* 21. *C. B. Lunæ* 4. *Epact.* 9. *C. Furnio Nepote, C. Iunio Silano Coss.*

Quinquennalium Augusti descriptionum tertia, cuius occasione, qui debuerant in sequentem annum differri, hoc anno celebrati sunt ἑκατονκαιδεκαετεῖς ludi seculares. Censuram perpetuam eadem occasione sibi rursus oblatam tandem admittit Augustus in quinquennium. *Dio lib.* 54. *Censorinus.* Herodes absolutâ sanctuarij duodeuiginti mēsibus instauratione, exteriores templi partes instaurat annis 46, ante primum

mum annum prædicationis Christi. *Ioseph. Antiq. lib. 15. cap. 14. Joh. 2. 20.*

---

*Ante Dn. 16. V. C. 738. Augusti 28. Solis 22. A. Lunæ 5. Epact. 20. Olymp. 191. L. Domitio Ahenobarbo, P. Cornelio Scipione Coss.*

Herodes Romam petens, Elide transit, visurus Olympicum agonem, qui celebratus est Iulij XXV. Alexandrum & Aristobulum filios Mariammes iam annos octo Romæ commoratos secum reducens, per Cappadociam transit, Archelaum regem inuisurus, cuius filiam Glaphyram Alexandro, Berenicen verò Salomes sororis suæ filiam Aristobulo dat. *Ioseph. belli Iudaici lib. 1 cap. 16. Antiquit. lib. 16. cap. 1. 2.*

---

*Ante Dn 15. V. C. 739. Augusti 29. Solis 23. G. Lunæ 6. Epact. 1. M. Liuio Druso, L. Calpurnio Pisone Coss..*

Agrippa Syriam Iudæamque perlustrans, Hierosolymis hecatombas vero Deo sacrificat. *Ioseph. Antiquit. lib. 16. cap. 2.*

---

*Ante Dn. 14. V. C. 740. Augusti 30. Solis 24. F. Lunæ 7. Epact. 12. M. Licinio Crasso, Cn. Cornelio Lentulo Coss.*

Agrippam Bosporano bello implicitum inuisit Herodes Sinopæ, eumq; Mitylenem vsque deducit. In eius gratiam Agrippa Iudæis multa priuilegia largitur. *Ioseph. Antiquit. lib. 16. cap. 3. 4. 5. 6.*



---

*Ante Dn. 13. V. C. 741. Augusti 31. Solis 25. E. D. Lunæ 8. Epact. 23. T. Claudio Nerone, P. Quintilio Varo Coss.*

Agrippæ Tribunitia potestas continuatur in alterum quinquennium. M. Lepidus Pontifex Max. moritur, eique substituitur Augustus: ac deinceps Imperator quiuis dictus est Cæsar, Augustus, Pontifex Maximus. *Dio lib. 54.*

---

*Ante Dn. 12. V. C. 742. Augusti 32. Solis 26. C. Lunæ 9. Epact. 4. Olymp. 192. M. Valerio Messala, P. Sulpitio Quirino Coss.*

Agrippa moritur sub Martij finem, pauloq; post natus est ipsi filius Agrippa ex Iuliâ Augusti filiâ. Pannonij non semel ab Agrippa debellati, simul ac mortem eius audiuerunt, iugum excutiunt. Hos Tiberius ope Scordiscorum comprimit. Senatus Augusto Censuram perpetuam rursus offert, aut in alterum quinquennium continuat. *Dio lib. 54.* Inuitabant videlicet ad id Senatum quarti census, siue quinquennalium descriptionum solennia in hunc annum incidentia.

---

*Ante Dn. 11. V. C. 743. Augusti 33. Solis 27. B. Lunæ 10. Epact. 15. Paulo Fabio Maximo, Q. Ælio Tuberone Coss.*

Tiberius in Illyrico Dalmatas & Pannonios vsque rebellantes, frater eius Drusus in Belgio Sicambros malè mulctant. *Dio lib. 54.* Herodes octauo post inchoatam exterioris templi instaurationem anno, absoluit ea quæ sunt ad integritatem operis necessaria. Sed huic extructioni nouum ali-

quid in dies addere Iudæi non cessarunt ad duodecimum vsque Neronis annum. *Ioseph. Antiq. lib.* 15. *cap.* 14.

*Ante Dn.* 10. *V. C.* 744. *Augusti* 34. *Solis* 28. *A. Lunæ* 11. *Epactæ* 26. *Iulio Antonio, Q. Fabio Maximo Coss.*

Tiberius matris & Augusti iussu Vipsaniam Agrippæ filiam, Attici neptim pudicam repudiat, vt Iuliam Augusti filiam impudicissimam vxorem ducat. *Dio lib.* 54. Herodes Mariammes filios suspectos habens, Romam ducit, apud Augustum accusat. Is filios patri conciliat. *Ioseph. Antiquit. lib* 16. *cap.* 7. 8.

*Ante Dn.* 9. *V. C.* 745. *Augusti* 35. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *Nerone Claudio Druso, T. Quintio Crispino Coss.*

Herodes Cæsareæ extructionem duodecimo ante hunc anno inchoatam absoluit. *Ioseph. Antiq. lib.* 15. *cap.* 13. absoluit, inquam, XXVIII. sui principatus anno. *Antiq. lib.* 16. *cap.* 9. Drusus trigesimum annum agens moritur. *Dio lib.* 55.

*Ante Dn.* 8. *V. C.* 746. *Augusti* 36. *Solis* 2. *E. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *Olymp.* 193. *C. Martio Censorino, C. Asinio Gallo Coss.*

Quintilis & Sextilis menses dicuntur Iulius & Augustus. *Dio lib.* 55. Herodes iterum cum Mariammes filijs conciliatur ab Archelao Cappadocum rege, in cuius gratiam Herodes Romam proficiscitur, vt eum Augusto conciliet. *Ioseph. Antiquitatum libr.* 16. *cap.* 10. 11. 12.

*Ante Dn.* 7. *V. C.* 747. *Augusti* 37. *Solis* 3. *D. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *Ti. Claudio Nerone II. Cn. Calpurnio Pisone II. Coss.*

Hos Coss. creatos currente primo Olympiadis CXCIII. anno testatur Dionysius Halicarn. lib. 1. In eundem annum incidit quintus Augusti census, cuius occasione factum videtur, vt cum Tiberio communicarit Tribunitiam potestatem in quinquénium. *Dio lib.* 55. Herodes filijs ex Mariamme susceptis tertiùm succensens, eos apud Saturninum Syriæ Præsidem accusat. Damnati capite plectuntur Samariæ, & mox à patre magno luctu desiderantur. *Ioseph. Antiq. lib.* 16. *cap.* 15. Quandonam Angelus apparuerit Zacariæ, prout docetur Luc. 1. 8. sic indagant rerum Iudaicarum periti. Sacerdotes alternatim ministrabant suâ quisque septimanâ. *Leuit.* 8. 35. Dauid sacerdotes in 24. familias distribuit, quarum octaua erat Abiæ. 1. *Chron.* 24. Ab Abia oriundus erat Zacarias. *Luc.* 1. 5. Templum à Iuda Machabæo repurgatum anno Seleucidarum 148. Casleu 25. 1. *Mach.* 4. 52. Id in annum V. C. 589. incidisse Nouembris 24. docent multi characterismi. Hinc sequitur hoc anno Zacariæ vices inijsse Octobris 17. Sabbatho, vsque ad Octobris 24. Intra septimanam illam Angelum apparuisse Zacariæ putat Ioh. Kepplerus, Christum natum anno sequente Decembris 25. Ingeniosè sanè, quin & verè diceret, si conueniret annus.

*Ante Dn.* 6. *V. C.* 748. *Augusti* 38. *Solis* 4. *C. Lunæ* 15. *Epact.* 10. *D. Lælio Balbo, C. Antistio Vetere Coss.*

Tiberius, licet in speciem ab Augusto vocatus ad Imperij consortium, tamen à priuignis suis, Augusti nepotib. tam proteruè fastidiebatur, vt priuignorum insolentiam & vxoris impudicitiam pertæsus secesserit in insulam Rhodum. *Dio lib.* 55. Chrysostomus serm. 27. de Zacariæ visione locutus: *Gesta sunt hæc*, inquit, *VIII. Kal. Octobreis, incipiente Luna XI. quando oportebat ieiunium Scęnopegiæ celebrare.* Perplexa sunt hæc, sequentia verò multò perplexiora, quin & asystata. Ἀσυστασίας huius causa est, quod refert sententiam, quam non satis intelligebat, quam ipse profitetur vix ante decennium perlatam in Orientem. Huius auctor sibi persuasit visionem, de qua Luc. 1. 8. hoc anno contigisse, quo Zacarias vices suas obire cœpit Septembris 18. Sabbatho, vsque ad Septembr. 24. quo contigit Iudæorum ieiunium, Tisri decimo. Scœnopegia verò cœpit Tisri 15. Septemb. 29. Audiuerat videlicet Iohannem Baptistam conceptum circa ieiunium Iudaicum, quod certè verum est. Cur autem Zacariæ visionem in hunc annum conferret, hęc potuit esse causa, quod videbat multos conferentes Christi baptismum in Tiberij XII. Christi passionem in Tiberij XV. Ita videlicet ferè fit, vt error errorem trahat.

---

*Ante Dn.* 5. *V. C.* 749. *Augusti* 39. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Imperat. Cæsare Augusto XII. L. Cornelio Sulla Coss.*

Caius Cæsar Ægrippæ ex Iulia filius, Augusti nepos, ab auo toga virili donatur, princeps iuuentutis designatur, in Orientem mittitur cum Quirinio. *Zonaras. Dio lib.* 55. *Tacit. Annalium lib.* 5. Eundem Quirinium Syriæ pręfecturâ donatum discimus ex Luc. 2. vers. 2.

---

*Ante Dn.* 4. *V. C.* 750. *Augusti* 40. *Solis* 6. *G. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *Olymp.* 194. *C. Caluisio Sabino, L. Passieno Crispo Coss.*

Iosephus mortem Herodis refert intra Lunæ deliquium & festum Paschatis. Idem suas rationes ita plerumque subducit, ac si perijsset Herodes hoc anno, quo sanè contigit eclipsis Lunæ Martij 13. Quamobrem Ioh. Kepplerus vult Herodem hoc anno mortuum intra Martij 13. & sequẽs Pascha, quod incidit in Aprilis 12. Sed vt alia, quibus hęc sententia laborat, incommoda taceam, fuit hęc eclipsis perexigua: & tam multa refert Iosephus intra deliquium illud & Paschatis festum, vt vix ac ne vix quidem contingere potuerint intra mensem vnum. Vero propiùs Scaliger, Caluisius, Emmius, qui volunt hoc anno Zacariæ visionem oblatam, cùm suas vices obire cœpisset Iulij XXI. Sabbatho.

---

*Ante Dn.* 3. *V. C.* 751. *Augusti* 41. *Solis* 7. *F. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *Cn. Lentulo, M. Valerio Coss.*

Hoc anno Cedrenus & Maximus natos volunt Iohannem Iunij 24. feria 2. Christum Decembris 25. feria 4. Eadem est Anastasij mens, cùm Annuntiationem B. Virginis cõfert cum Martij 25. feria 2. Idem quoq; sentiunt Cassiodorus, Marianus Scotus, Ioh. Cuspinianus, Augustinus Torniellus, Cæsar Baronius. Sed & Scaliger, Caluisius, Emmius eos volunt hoc quidem anno natos, sed Iohannem Aprili mense, Christum Septembri vel Octobri.

Nos credimus oblatam hoc anno Zacariæ visionem, cùm vices suas obire cœpisset Iunij 22. Sabbatho, vsque ad Iunij 29. quo celebratum est ieiunium Tamuz 17. Itaq; conceptus fuerit Iohannes circa ieiunium quidem Iudaicum, vt vult recepta sententia, sed circa ieiunium solstitiale, non Autumnale. Ita Decembris vicesimo quinto conueniet quidem incarnatio Christi, sed conceptio, non natiuitas.

---

*Ante Dn. 2. V.C. 752. Augusti 42. Solis 8. E. Lunæ 19. Epact. 24. Imper. Cæsare Augusto XIII. & Plautio Coss.*

Plautio suffectus est C. Caninius. Hunc omnino designare videtur Augustus in Ancyrano lapide cùm ait, *Nuper lustrum feci solus Censorum penuria, .....nio Cos.* h. e. *C. Caninio Cos.* suffecto. Postulat enim id quinquennalium Augusti descriptionum series, quarum sexta incidit in hunc annum. Ea verò fuit prima descriptionum factarum ex quo Quirinius in Orientem missus est Luc. 2. 2. Quamobrem meritò his Coss. natum asserunt Christum Epiphanius, Tertullianus, Hieronymus, Eusebius, Panuinius, Temporarius, Phrygio, Mariana. Hinc est quod à proximè sequentibus Ianuarij Kalendis æram Christi inchoat Eusebius in suo Chronico.

Dicat aliquis, Qui factum vt de natali Christi die tam varia scripta sint à veteribus? Ratio potest hęc esse, quod multos dies, quibus aliquid insigne Christo vel Iohanni Baptistæ contigit eo quo nati sunt anno, sumpserunt pro vero Christi natali. Puta Decembris XXV. quem plerique tribuunt natali Christi, conuenit potiùs eius conceptioni, sub finem anni superioris. Dies 25. Pachon, quem Clemens tribuit natali Christi, conuenit potiùs ei diei, quo Ioh. Baptistæ nomen tabulis publicis inscriptum, 40. diebus post eius natiuitatem. In Ægyptiorum autem anno vago, Pachon 25. incidit hoc anno in Maij 15. Ita Ioh. Baptistæ natiuitas conueniet Aprilis quinto, conceptio circa Iulij sextum. Eadem ratione Męmacterionis sextus, quem Epiphanius natali Christi tribuit, conuenit potiùs ei diei, quo Christi nomen tabulis publicis inscriptum est, cùm oblatus est templo, diebus 40. post natiuitatem. Hoc anno Męmacterionis sextus incidit in Nouembris tertium. Ita Septembris 24. qui vulgò tribuitur conceptioni Ioh. Baptistæ, conueniet vero Christi natali. Denique Clemens à Christi natiuitate ad Commodi mortem dies & annos ita numerat, ac si Christus natus esset Nouembris 17. Huic diei potiùs conuenit infanticidium. Siquidem Petrus Alexandrinus apud Balsamonem cap. 13. vult Zacariam eodem, vel circiter tempore iugulatum, quo Bethlehemenses infantes, inter templum & altare, vt dicitur Matth. 23. 35. Zacarias autem hoc anno suas vices obire cœpit Nouemb. octauo. Latini tamen postea maluerunt in Decembris 28. Gręci in Decembris 29. infanticidium conferre.

---

*Ante Dn. 1. V.C. 753. Augusti 43. Solis 9. D. C. Lunæ 1. Epact. 6. Cosso Cornelio Lentulo, L. Calpurnio Pisone Coss.*

A Ianuarijs huius anni Kalendis, vt Christi natiuitati proximis, suam Christi ęram inchoat Eusebij Chronicon. Paulò post eas Kalendas aliquot Iudęi

deijciunt aquilam auream, quam Herodes imposuerat magnæ templi portæ. Hos Herodes viuicomburio punit. Sequenti nocte Luna deficit. Neque multò post etiam filium suum Antipatrum occidit, ac ipse quinque post Antipatrum occisum diebus moritur. *Joseph. Antiquit. lib. 17. cap. 8. 9. 10.* Hanc eclipsim meritò conferunt Scaliger, Temporarius, Caluisius, in hunc annum, Ianuarij decimum. Siquidem Herodes perijt secundo die mensis Schebat, quem eam ob causam inter faustos dies retulerunt Iudęi. *Abrahami Kabbala.* Ea dies incidit in Ianuarij 24. Post longum funeris apparatum & magni sumptus exequias, Iudęi tumultuantur in Archelaum Herodis filium, festo Paschatis. Archelaus immissis in templum militibus occidit tria millia. *Joseph. Antiquit. lib. 17. cap. 10.* Illud Pascha celebratum est Aprilis octauo. Paulò post Archelaus Romam delatus, ab Augusto confirmatur Herodis hęres ex parte in Senatu, pręsente Caio Augusti nepote. *Joseph. Antiquitat. lib. 17. cap. 11.* Caium auus Augustus ante quadriennium in Orientem miserat. Tum autem redierat Consulatus ambiendi gratia. Consulem hoc anno designatum Caium docent Fasti. Hinc vel maximè colligitur Herodem hoc anno mortuum. Si Zacarias Herodi superstes fuit, vices hoc anno suas obire cœpit Aprilis 24. & Octobris 9. Id non animaduertens Maximus Monachus, vult Angelum apparuisse Zacariæ Tisri 10. Septemb. 27. Idem sentiunt Gręci in suo Menelogio, & Armenij Biblioth. Patrum tom. 4. col. 955. Decimus autem Tisri cum Sept. 27. concurrit hoc anno.

*Anno Domini 1. V. C. 754. Augusti 44. Solis 10. B. Lunæ 2. Epact. 17. Olymp. 195. C. Julio Cæsare, Q. Aimilio Paulo Coss.*

C. Cæsar paulò post initum Consulatum in Orientem reuertitur, neque postea Romam redijt. In insulam Chium delatus, eò venientem honoris causa vitricum Tiberium auersatur. *Sueton. lib. 3. cap. 12.*

Æra Christi, quâ nunc omnes Christianæ nationes vtuntur, multis post Christi natiuitatem seculis vsurpari cœpit in actis publicis, vt mirum videri non debeat, si non satis vero respondeat. Ea ducit initium ab hoc anno Cycli Solaris decimo, Lunaris secũdo. Quod si mors Herodis vltra annum V. C. 753. differri posset, ita demum vero proxima fieri posset recepta de Christi natali tum die, tum anno sententia, si diceres æram Christi receptam initium ducere à Ianuario qui proximè pręcessit Iohannis conceptionem, Iohannem conceptum Septembris 24. septiduo postquam Zacarias vices suas obierat, quas certè hoc anno, si modo tum adhuc in viuis fuit, inchoauit Septembris decimo: Christum autem natum anno sequente Decembris 25. An cuiusquam fuerit ista mens, haud scio. Sunt certè, quibus placuit etiam vltra hunc annum differre Iohannis Baptistæ conceptionem.

*Anno Dn. 2. V. C. 755. Augusti 45. Solis 11. A. Lunæ 3. Epact. 28. P. Vinicio, P. Alfinio Varo Coss.*

Tiberius à Caio priuigno multis precibus impetrat, vt sibi liceat Ro-

mam redire. Rediijt octauo postquam Rhodum secesserat anno. *Paterc. lib. 2.* Archelaus ex Italia per Cappadociam in Iudæam reuertitur. *Ioseph. Antiq. lib. 17. cap. 15.* Hinc factum vt in Iudæâ propriè dicta domicilium figere non ausus sit Ioseph, ex Ægypto reducens Christum & B. Virginem, sed Nazarethi Galileæ ciuitate. *Matth. 2. 22.* Thomas Lydiat vult Zacariæ visionem hoc anno contigisse, circa Febr. finem, vel initium Martij. Certè Zacarias, si modo tum adhuc superstes erat, hoc anno vices suas obire cœpit Februarij 25.

---

*Anno Dn. 3. V. C. 756. Augusti 46. Solis 12. G. Lunæ 4. Epact. 9. L. Ailio Lamia, M. Seruilio Gemino Coss.*

L. Cęsar Agrippæ filius, Augusti nepos septemdecim annos natus, Hispaniam petens, Massiliæ moritur. *Paterc. lib. 2. Sueton. lib. 2. cap. 65. & lib. 3. cap. 70.* Quia Clemens Alexandrinus Stromat. 1. natum refert Christum Pachon 25. Thomas Lydiat sententiam hanc, vt omnium antiquissimam, sic & verissimam arbitratus, Christi natiuitatem confert in hunc annum, Pachon 25. Maij 20. quindecim ferè mensibus post septimanam, cui certè conueniebant Zacariæ, si modo tum adhuc viuebat, vices.

---

*Anno Dn. 4. V. C. 757. Augusti 47. Solis 13. F. E. Lunæ 5. Epactæ 20. Sext. Ælio Cato, C. Sentio Saturnino Coss.*

Quinquennalium Augusti descriptionum septima, Quirinij secunda, post Christi in vrbe Nazareth habitationem prima, cuius meminit Tertullianus aduersus Marcionitas libr. 4. Caius Cęsar in Italiam reuertens, in vrbe Limyra moritur, neque multò post Augustus duobus nepotibus amissis, tertium Agrippam eiusque vitricum Tiberium adoptat, ac insuper Tiberium Tribunitiæ potestatis consortem rursus facit, idq; in decennium. *Paterc. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 5. V. C. 758. Augusti 48. Solis 14. D. Lunæ 6. Epact. 1. Olymp. 196. L. Valerio Messala, Cn. Cornelio Cinna Coss.*

Horrendi terræ motus & Solis deliquium Romam terrent. *Dio libr. 55.* Hęc eclipsis contigit Martij 28. Sabbatho.

---

*Anno Dn. 6. V. C. 759. Augusti 49. Solis 15. C. Lunæ 7. Epact. 12. L. Aimilio Lepido, L. Aruntio Nepote Coss.*

Hic annus incendio, fame, bellis infestus fuit. *Dio lib. 55.* In hunc annum Herodis mortem conferunt Baronius & Thomas Lydiat, vitiosè: cùm ante biennium obijsset C. Cęsar, quem Herodi superstitem fuisse testatur Iosephus Antiquit. lib. 17. cap. 11.

---

*Anno Dn. 7. V. C. 760. Augusti 50. Solis 16. B. Lunæ 8. Epact. 23. A. Licinio Nerua, Q. Cæcilio Metello Coss.*

Dalmatia & Pannonia tumultuantur. *Paterc. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 8. V. C. 761. Augusti 51. Solis 17. A. G. Lunæ 9. Epact. 4. M. Furio Camillo, Sext. Nonio Quintiliano Coss.*

Pannonia pacem petere cogitur à Tiberio. *Paterc. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 9. V. C. 762. Augusti 52. Solis 18. F. Lunæ 10. Epact. 15. Olymp. 197. C. Poppæo Sabino, Q. Sulpitio Camerino Coss.*

Archelaus decimo post Herodis obitum anno Viennam relegatur. Quirinius Iudęam in prouinciam redigit. *Ioseph. Antiquit. lib. 17. cap. 15. Belli Iudaici lib. 2. cap. 7.* Occasio videlicet petita, quod in hunc annum inciderent quinquennalium Augusti descriptionum solennia. Ea descriptio fuit octaua quidem Augusti, tertia verò Quirinij: tertia, inquam, ex quo Quirinius in Syriam primò missus est, quod factum diximus anno V. C. 749. quanquam in Syriâ non semper pedem fixit, sed eius loco Syriam rexit nouem circiter annos Quintilius Varus. Hoc autem anno Quirinius in Syriam secundò missus est, Varus autem in Germaniam, in qua cum tribus legionibus internecione deletus est. *Dio libr. 56.* Idem Dio relegationem Archelaï narrans, duo peccat. 1. quod eum vocat Herodem. 2. quod eam confert in annum V. C. 759. quasi perierit Herodes anno V. C. 750. quæ fuit fortè Iosephi sententia, sed falsi manifesta.

---

*Anno Dn. 10. V. C. 763. Augusti 53. Solis 19. E. Lunæ 11. Epact. 26. P. Cornelio Dolabella, C. Iulio Silano Coss.*

Tiberius Germanos Variana clade ferocientes compescit. *Paterc. libr. 2.* Hillel Iudęorum doctor insignis annos 120. natus moritur, annis 60. ante secundi templi subuersionem. Succedit illi Simeon filius annos 23. *Zacut fol. 19. & 22.*

---

*Anno Dn. 11. V. C. 764. Augusti 54. Solis 20. D. Lunæ 12. Epact. 7. M. Aimilio Lepido, T. Statilio Tauro Coss.*

Cùm Germanos vtcumque compescuissent Tiberius & filius eius adoptiuus Germanicus, decernitur Tiberio quidem triumphus, Germanico verò Consulatus in sequentem annum. *Dio lib. 56. Paterc. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 12. V. C. 765. Augusti 55. Solis 21. C. B. Lunæ 13. Epact. 18. T. Iulio Germanico Cæsare, C. Fonteio Capitone Coss.*

Tiberius triumphum Illyricum agit. *Paterc. lib. 2.* Christus duodecim annos & semis natus, doctorem agit in Hierosolymitano templo Paschate. *Luc. 2. 42.* Hoc Pascha celebratum est Martij 26.

---

*Anno Dn. 13. V C. 766. Augusti 56. Solis 22. A. Lunæ 14. Epact. 29. Olymp. 198. C. Silio Nepote, L. Munatio Planco Coss.*

M. Ambibucho succedit Annius Rufus Iudęæ procurator. *Ioseph. l. 18. c. 3.*

---

*Anno Dn. 14. V. C. 767. Augusti 57. Solis 23. G. Lunæ 15. Epact. 10. Sext. Pompeio Nepote, Sext. Apuleio Nepote Coss.*

Quinquennalium Augusti descriptionum vltima, in qua etiam lustrum condidit. *Dio, Sueton. Lapis Ancyranus.* Inter prodigia mortem Augusti portendentia, numeratur à Dione & Zonara Solis eclipsis. Ea contigit Aprilis 18. feriâ 4. obijt XIV. Kal. Septemb.

Succedit illi Tiberius, neque multò post, teste Tacito, secutum Lunæ deliquium. Id contigit Septemb. 27. feriâ 5.

---

*Anno Dn. 15. V. C. 768. Tiberij 1. Solis 24. F. Lunæ 16. Epact. 21. Druso Julio Cæsare, C. Norbano Flacco Coss.*

Tiberius Annio Rufo Valerium Gratum substituit. *Ioseph. Antiquit. lib. 18. cap. 3.*

---

*Anno Dn. 16. V. C. 769. Tiberij 2. Solis 25. E. D. Lunæ 17. Epact. 2. Q. Statilio Tauro, L. Scribonio Libone Coss.*

Valerius Gratus Iudææ procurator Ismaëli sacerdoti substituit Eleazarum. *Ioseph. Ant. lib. 18. cap. 3.* Germanicus Arminium & Inguiomerum duobus prælijs profligat. *Tacit. Annal. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 17. V. C. 770. Tiberij 3. Solis 26. C. Lunæ 18. Epact. 13. Olymp. 199. C. Cælio Rufo, L. Pomponio Flacco Coss.*

Valerius Gratus Eleazaro sacerdoti substituit Simonem Camithi filium. *Ioseph. Antiq. lib. 18. c. 3.* Germanico Tiberius inuidens, triumphum quidem illi largitur, sed eum in Orientem ablegat honoris specie, comitemque dat Pisonem æmulum. *Tacit. Annal. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 18. V. C. 771. Tiberij 4. Solis 27. B. Lunæ 19. Epact. 24. Tib. Cæsare Augusto III. Tib. Iulio Cæsare Germanico II. Coss.*

Valerius Gratus Simoni summo sacerdoti Iosephum Caïpham, siue Caipham substituit. *Joseph. Antiquit. lib. 18. cap. 3.* Germanicus secundum Consulatum init in Achaia. Hinc in Syriam vsque pergit. *Tacit. Annal. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 19. V. C. 772. Tiberij 5. Solis 28. A. Lunæ 1. Epact. 6. M. Junio Silano, L. Norbano Flacco Coss.*

Germanicus Ægyptum lustrat, Syenem vsque. Reuersus in Syriam, veneno perimitur à Pisone. *Tacit. Annal. lib. 2.*

---

*Anno Dn. 20. V. C. 773. Tiberij 6. Solis 1. G. F. Lunæ 2. Epact. 17. M. Valerio Messala, M. Aurelio Cotta Coss.*

Piso non ausus profiteri quonam auctore Germanicum veneno sustulisset, sibi manus infert. Vxorem eius Plancinam protegere non verecundatus est Tiberius. *Tacit. Annal. lib. 3.*

---

*Anno Dn. 21. V. C. 774. Tiberij 7. Solis 2. E. Lunæ 3. Epact. 28. Olymp. 200. Tib. Iulio Cæs. Aug. IV. Druso Iulio Cæsare II. Coss.*

Florus & Sacrouir Gallias turbant, & non multò post sibi mortem consciscunt. Tiberius in Campaniam secedit, neque multò post Romam redit. *Tacit. Annal. lib. 3.*

---

*Anno Dn. 22. V. C. 775. Tiberij 8. Solis 3. D. Lunæ 4. Epact. 9. C. Sulpitio Galba, D. Haterio Agrippa Coss.*

Tiberius filio suo Druso Tribunitiam potestatem à Senatu postulat, eadem

dem ætate, quâ ipse munus hoc ab Augusto primùm obtinuerat. *Tacit. Annal. lib. 3.*

---

*Anno Dn. 23. V. C. 776. Tiberij 9. Solis 4. C. Lunæ 5. Epact. 20. C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Coss.*

Nouem cohortes Prætorias, quæ priùs Romæ per varios vicos sparsæ fuerant, in vna castra colligit Seianus extra pomœrium vrbis, quasi procul ab vrbanis delicijs sanctiùs victuras: re verâ vt viribus istis vnitis potentiùs vteretur, ad stabiliendam suam & Tiberij tyrannidem. Remanserunt in vrbe tres tantum vrbanæ cohortes. Liuia Germanici filia Drusi vxor maritum interficit, vt Seiano nubat. *Tacit. Annal. lib. 4.*

---

*Anno Dn. 24. V. C. 777. Tiberij 10. Solis 5. B. A. Lunæ 6. Epact. 1. Sext. Cornelio Cethego, L. Visellio Varrone Coss.*

Tiberius Germanici liberos à Senatu diligi videns impensiùs quàm vellet, incipit in amicos Germanici sæuire. *Tacit. Annal. lib. 4.*

---

*Anno Dn. 25. V. C. 778. Tiberij 11. Solis 6. G. Lunæ 7. Epact. 12. Olymp. 201. Cosso Cornelio Lentulo, M. Asinio Agrippa Coss.*

Crematur historia Cremutij, quod Brutum & Cassium Romanorum vltimos dixisset. Ipse inedia vitam finit. *Tacit. Annal. lib. 4.*



---

*Anno Dn. 26. V. C. 779. Tiberij 12. Solis 7. F. Lunæ 8. Epact. 23. Cn. Cornelio Getulico, C. Caluisio Sabino Coss.*

Valerio Grato, cùm vndecim annos Iudçæ prçfuisset, Pontium Pilatum substituit Tiberius. *Joseph: Antiq. lib. 18. cap. 4.* Tiberius Romam rursus deserit, idque continuos annos vndecim ad obitum vsque. Germanici liberos Neronem & Drusum mutuis odijs inflammat, & vt inuicem exardescant ac dispereant efficit Seianus eorumque mater Liuia. *Tacit. Annal. lib. 4.* Tertullianus ait Christum Tiberij XII. reuelatum. Eadem fuit eorum sententia qui Christum baptizatum Ianuarij sexto, feriâ primâ censuerunt. Ij refutantur Luc. 3. 1.

---

*Anno Dn. 27. V. C. 780. Tiberij 13. Solis 8. E. Lunæ 9. Epact. 4. M. Licinio Crasso, L. Calpurnio Pisone Coss.*

Ab hoc anno ducit initium vltima Danielis hebdomas, quæ fœdus Euangelicum multis hominibus, adeoque multis varijsque modis confirmauit, primò Iohannis, deinde Christi ministerio. Necesse tamen non fuit vt huius septimanæ statim initio prçdicare cœperit Iohannes.

---

*Anno Dn. 28. V. C. 781. Tiberij 14. Solis 9. D. C. Lunæ 10. Epactæ 15. App. Iunio Silano, P. Silio Nerua Coss.*

Hoc anno XIV. Kalend. Septemb. initium ducit decimus quintus Tiberiani principatus annus, vel Hebræorum more ab antecedente Nisan. De

vtrouis principio poteſt intelligi quod Ioh. Baptiſta prędicationem inchoaſſe dicitur anno Tiberij XV. *Luc. 3. 1. Matth. 3. 1. Marc. 1. 1.*

---

*Anno Dn. 29. V. C. 782. Tiberij 15. Solis 10. B. Lunæ 11. Epact. 26. Olymp. 202. C. Rubellio Gemino, C Furio Gemino Coſſ.*

Quiſquis primus dixit Chriſtum Olympiade CCII. paſſum, huius mens hæc eſſe potuit, Chriſtum paſſum intra quadriennium Olympiad. CCII. quod ſanè verum eſt. Id verò ſecus accipiens auctor actorum, quæ Pilato ſunt afficta, ſibi perſuaſit Chriſtum paſſum anno, quo celebrata eſt Olympias 202. Finxit igitur paſſum XV. Kalend. April. reſurrexiſſe XIII. Kalend. April. quod huic anno conuenit. Epiphanius errorem ex errore ſerens, dixit Chriſtum paſſum XIII. Kalendas April. Vt vt ſit, hinc factum, vt duobus Geminis Coſs. paſſum pro nobis Chriſtum dixerint Tertullianus, Lactantius, Sulpitius Seuerus. Indidem nata ſententia quæ Ioh. Baptiſtæ conceptionem confert in Septemb. 24. Tiſri 10. annis 33. & ſemis ante hunc. Nos cenſemus Chriſtum hoc anno triginta ſolidos annos & dies aliquot natum, baptizatum Athyr 12. Hunc certè diem aſſignat Epiphanius Chriſti baptiſmo. Ea dies conuenit cum Octobris 26. vel Nouembris 8. *Matth. 3. 13. Marc. 1. 19. Luc. 3. 21. Joh. 1. 15.*

---

*Anno Dn. 30. V. C. 783. Tiberij 16. Solis 11. A. Lunæ 12. Epact. 7. M. Vinutio Quartino, C. Caſſio Longino Coſſ.*

Legatio, quæ miſſa legitur ad Iohannem, videtur in Ianuarias huius anni Kalendas incidiſſe, vt aquæ in vinum conuerſæ miraculum inciderit in Ianuarij ſextum, quod pleræque prouinciæ credebant Epiphanij ſeculo. Vt vt ſit, huic anno conueniunt quæ narrantur *Matth. 4. 12. Marc. 1. 14. Luc. 4. 5. Joh. 1. 19.* & deinceps. Primi poſt Chriſti baptiſmum Paſchatis notationem habes Ioh. 2. 13. Id incidit in Aprilis octauum.

---

*Anno Dn. 31. V. C. 784. Tiberij 17. Solis 12. G. Lunæ 13. Epact. 18. Tiberio Auguſto V. T. Ælio Seiano Coſſ.*

Seianum Tiberius in altiſſimum euehit faſtigium, vt caſu grauiore ruat cum tota familia. *Dio lib. 58.* Secundi poſt Chriſti baptiſmum Paſchatis veſtigium habes *Joh. IV. 35. V. 15.* Id celebratum eſt Martij 27. feriâ tertiâ. Hoc anno contigerunt ea quæ narrantur Matth. 9. 1. Marc. 2. 1. Luc. 5. 1. Ioh. 5. 1. & deinceps.

---

*Anno Dn. 32. V. C. 785. Tiberij 18. Solis 13 F. E. Lunæ 14. Epact. 29. Cn. Domitio Ahenobarbo, A. Vitellio Nepote Coſſ.*

Hoc anno contigerunt ea quæ narrantur *Matth. 14. 15. Marc. 6. 30. Luc. 9. 15. Joh. 6. 1.* & deinceps, cùm ad tertium à baptiſmo ſuo Paſcha pergens Chriſtus, quinque panibus nutriuit virorum quinque millia. Illud Paſcha celebratum eſt Aprilis 15. feriâ tertiâ, Niſan XV. Cùm igitur Chriſtus paſſus ſit Niſan XIV. feriâ ſextâ, malè Chriſti paſſionem in hunc annum confert Baronius.



*Anno Dn. 33. V. C. 786. Tiberij 19. Solis 14. D. Lunæ 15. Epact. 10. Olymp. 203. Ser. Sulpitio Galba, L. Cornelio Sulla Coss.*

Olympias CCIII. celebrata est hoc anno mense Iulio. Antecedentia pertinebãt ad quartum Olympiad. CCII. annum, quo currente notat Phlegon apud Eusebium, contigisse maximam omnium eclipseon. Eodem anno Nisan quartusdecimus, siue Paschale plenilunium incidit in feriam sextam, quod omnino postulat Dominicæ passionis historia. Ita meritissimo iure contendit magnus Scaliger, Christum hoc anno passum Aprilis tertio, Nisan XIV. Luna XV. feria sexta, eùm agnum Paschalem pridie comedisset Luna XIV. feria quinta. Resurrexit Aprilis 5. Nisan 16. die, quæ hanc ipsam ob causam, dicitur Dominica. In cælum ascendit Maij 14. feria 5. In Apostolos Spiritum S. immisit die Pentecostes, Maij 24. feria 1. Simeoni I. Hillelis filio, succedit Gamaliel I. filius annos 19. *Zacut.* Hic potest is esse, qui memoratur Actor. V.

*Anno Dn. 34. V. C. 787. Tiberij 20. Solis 15. C. Lunæ 16. Epact. 21. Paulo Fabio Persico, L. Vitellio Nepote Coss.*

Philippus Herodis filius, Trachonitidis Tetrarcha moritur anno Tiberij XX. post mortem Herodis XXXV. Iosephus Antiquit. lib. 18. cap. 6. putat eum annos 37. regnasse, quia putat Herodem anno V. C. 750. perijsse. Christum Martij 26. passum censuerunt Lactantius, Victorinus, Beda, Panuinius, Ioh. Mariana. Martij 26. hoc anno incidit quidem in feriam sextam, sed in Nisan XVII. quod non conuenit. Alij dixerunt, Epiphanio teste, Christum Martij 23. passum. Conuenientiùs dixissent Martij 22. siquidem Christus passus est Nisan XIV. Is hoc anno incidit in Martij 22. sed ea dies erat feria secunda, quod non conuenit.

*Anno Dn. 35. V. C. 788. Tiberij 21. Solis 16. B. Lunæ 17. Epact. 2. C. Cestio Gallo, M. Seruilio Rufo Coss.*

Vitellius Syriæ præses Iudæis gratificaturus, Pilatum Romam amandat, redditurum rationem rerum à se gestarum. Is consultò lentis nauigijs vsus, non ante Tiberij mortem Romam appulit. *Ioseph. Antiquit. lib. 18. cap. 5.* Christianus Adrichomius putat Christum hoc anno passum, Martij 25. Sanè Martij 25. hoc anno incidit in feriam sextam, sed in Adar 25. quod non conuenit. Hoc anno Iudęi Pascha celebrarunt Aprilis 12. feriâ tertiâ.

*Anno Dn. 36. V. C. 789. Tiberij 22. Solis 17. A. G. Lunæ 18. Epactæ 13. Q. Plautio, Sext. Papinio Coss.*

Romæ montem Auentinum & circumiacentia fœdat incendium. Tiberius huic iacturæ quomodocumque sarciendæ millies HS largitur. *Tacit. Annal. lib. 6.* Christum Martij 30. passum, Kalend. Aprilis resurrexisse volunt Paulus Forosemproniensis Episcopus, Christophorus Lauretus, Theobaldus Meuschius, Thomas Lydiat. Ij, si verum dicerent, Christi mors esset in hunc annum conferenda, quo Iudęi suum Pascha celebrarunt vltimo die Martij, Sabbatho. Sed Pilatus iam à Vitellio Iudęæ pręfecturâ spoliatus

fuerat. Vtut sit, cùm in eo saltem consentiant omnes Christum sub Tiberio passum, primam Ecclesiæ Christianæ Centuriam vltra Tiberij mortem differre non debuimus.



# ECCLESIAE CHRISTIANAE
## CENTVRIA PRIMA.

*Anno Domini 37. Vrbis conditæ 790. Caij 1. Solis 18. F. Lunæ 19. Epactæ 24. Olympiade 204. Cn. Acerronio Proculo, C. Pontio Nigrino Coss.*

TIBERIVS extinctis Germanici filijs & amicis, filium eius vnum ostentandæ clementiæ potentiæq; staminandæ seruauit Caium, à quo tandem oppressus est, tum ipse, tum S. P. Q. R. Vitellius Herodi, qui Philippo fratri rapuit Herodiadem vxorem, suppetias Tiberij iussu ferens, aduersus Aretam Arabum regem, transit Hierosolymis festo Paschatis. Quarto post die literas accepit nuntiantes Tiberio mortuo successisse Caium, siue Caligulam. *Ioseph. Antiquitat. lib. 18. cap. 7.* Perijt Tiberius Martij 16. Pascha celebratum est Aprilis 20. Cùm autem Tertullianus Apologetico testetur Pilatum Tiberio nuntiasse quid Christo contigisset, Tiberium accusatoribus Christianorũ periculum capitis comminatum, hanc ob causam credimus persecutionem quæ narratur Actorum quinto, post Tiberij demum obitum excitatam. Idem annus est primus Agrippæ, quem Lucas Herodem nuncupat Act. 12. 1. Is erat Aristobuli filius, Herodis primi nepos, Caio propter morum similitudinem, & periculorum societatem charus, à quo maximam auiti patrimonij partem recuperauit, neque multò post in Iudęam venit. *Ioseph. Antiq. lib. 18. cap. 9.*

---

*Anno Dn. 38. V. C. 791. Caij 2. Solis 19. E. Lunæ 1. Epact. 6. M. Aquilio Iuliano, P. Nonio Asprenate Coss.*

Herodes Agrippa delatus in Iudęam nihil antiquiùs habuit quàm vt Iudęos aliquo beneficio sibi deuinciret, data summo Pontifici potestate noua, aduersus nouum hominum genus. Prima furoris Iudaïci victima fuit Stephanus. Euodius apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. numerat annos septem à Christi re-

ſurrectione ad lapidationem Stephani, de qua Act. VII.59. quod nobis probabilius videtur, quàm quod Euſebius vnicum annum huic interuallo tribuit.

*Anno Dn.* 39. *V. C.*792. *Caij* 3. *Solis* 20. *D. Lunæ* 2. *Epact.*17. *C. Julio Cæſare Auguſto II. L. Apronio Caſiano Coſ.*

Saulus Chriſti diſcipulos Damaſcum vſque perſequens, ipſe conuertitur, ſex circiter menſibus poſt Stephani lapidationem, Actor. 9. 1. Iudæorum ferociæ comprimendæ mittitur Petronius Syriæ Præſes Vitellio ſubſtitutus, iuſſuſque Caij ſtatuam Hieroſolymis collocare, quæ res magnas turbas dedit. *Joſeph. Antiquit. lib.18. cap.11. Philo de ſuo legatione.*

*Anno Dn.* 40. *V. C.* 793. *Caij* 4. *Solis* 21. *C. B. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *C. Julio Cæſare Auguſto III. Coſ.*

Cum perſecutionis aduerſum Stephanum excitatæ occaſione latiùs ſerpſiſſet incendium, Deus quoque fecit vt à diſcipulis in varia loca diſperſis longè latéque promulgaretur Euangelium. Cum igitur etiam Samaritani multi Chriſti fidem fuiſſent amplexi, mittitur ad eos Petrus vt illius Eccleſiæ fundamenta iaceret. Erat enim hoc proprium Apoſtolorum munus. *Act.8.14.* Quandonam autem Lyddam, Ioppem, Cæſaream profectus, ac Hieſolyma reuerſus ſit, non ſatis conſtat: niſi quod huic peregrinationi biennium vel circiter impendiſſe videtur Petrus.

*Anno Dn.* 41. *V. C.*794. *Claudij* 1. *Solis* 22. *A. Lunæ* 4. *Epact.*9. *Olymp.* 205. *C. Iulio Cæſare Auguſto IV. Cn. Sentio Saturnino Coſ.*

Caio trucidato ſubſtituitur Claudius patruus IX. Kalẽd. Febr. *Suetonius, Dio.* Is Herodi III. Chalcidis regnũ donat, eius verò fratri Agrippæ totum Herodis aui patrimonium, ac inſuper Abylam, & Libanum montem. *Joſeph. Antiq. lib. 19. cap. 4.* Hęc fortè fuit cauſa, cur etiam Herodes dictus ſit, vt qui potentiam Herodis aui ſuperaret aut æquaret.

*Anno Dn.* 42. *V. C.*795. *Claudij* 2. *Solis* 23. *G. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Ti. Claudio Auguſto II. C. Licinio Cæcina Coſ.*

Paulus in Arabia triennium commoratus, *Galat.1.18.* Damaſcum reuerſus, ac inde fugere coactus, ac per feneſtram in ſporta demiſſus per mœnia *2. Cor.11.33.* Hieroſolyma venit, *Act.9. 26.* ibique rapitur in cælum, *Act.22.18.* quatuordecim annis antequam ſecundam ad Corinthios epiſtolam ſcriberet, *2. Cor.12.1.* Cùm autem ibi viderit tantum Petrum & Iacobum fratrem Domini, *Galat. 1.18.19.* h. e. Iacobum Alphęi filium, videtur iam tum occiſus fuiſſe Iacobus Zebedęi filius, Iohannis frater, licet id καθ' ὑστέρων Actorum demum 12. 1. recenſeatur, vt tum hi tantum duo Apoſtoli fuerint Hieroſolymis, Petrus & Iacobus Alphęi. Paulus autem propter Iudęorum inſidias plures quindecim diebus Hieroſolymis ſubſiſtere non potuit, *Act.9.29.* Hieroſolymis igitur it Tarſum, dein Antiochiam, *Act. IX.29. XI.25. Galat.1. 21.* B. Virgo cùm ætatis anno XV.

Christum peperisset, obit ętatis anno LVIII. triennio post conuersionem Pauli. *Nicephor. lib. 2. cap. 3. Epiphanius, Glycas.*

---

*Anno Dn.* 43. *V. C.* 796. *Claudij* 3. *Solis* 24. *F. Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Ti. Claudio Augusto III. L. Vitellio Nepote II. Coss.*

Fames ab Agabo prędicta *Act. 11. 28.* durauit annos multos. Hinc est quod Dio quidem in secundum, Eusebius in quartum, Iosephus Antiq. lib. 20. cap. 2. in quintum sextum-ve Claudiani principatus annum eam conferunt. Vt vt sit, nihil obstat, quo minùs in tertium annum Claudij conferri possit iter, quod Paulus Hierosolyma suscepit huius famis occasione, *Act. 11. 30.*

---

*Anno Dn.* 44. *V. C.* 797. *Claudij* 4. *Solis* 25. *E. D. Lunæ* 7. *Epactę* 12. *C. Quintio Crispino II. T. Statilio Tauro II. Coss.*

Herodes Agrippa cùm annos septem post Tiberij mortem regnasset, Cęsareæ miserè perijt à vermibus arrosus. *Ioseph. Antiquit. lib 19. cap. vlt. & lib. 20. cap. 1.* Lucas vno ductu Herodis in Iacobum & Petrum scelera cum pœna diuinitùs immissa recenset, *Act. 12. 1.* cùm tamen necesse non sit, vt hęc vno eodemque contigerint anno. Huic succedit alter Agrippa, sed quia 17. tantum annos natus erat, Claudius eum Romæ detinuit, & in Iudęam Cuspium Fadum procuratorem misit.

---

*Anno Dn.* 45 *V. C.* 798. *Claudij* 5. *Solis* 26. *C. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Olymp.* 206. *M. Vinutio Quartino II. M. Statilio Coruino Coss.*

Cùm Cuspius Fadus creandi summi sacerdotis sibi ius arrogaret, Iudęi rogant ac impetrant à Claudio, quinto principatus eius anno, vt ius illud & vestes sacerdotales habeant in sua potestate, IV. Kalend. Iul. *Joseph. Antiq. libr. 20. cap. 1.* Theudas prophetam agens, Iudęosque multos patronos nactus, à Cuspio Fado corripitur & opprimitur. *Joseph. Antiquitat. lib. 20. cap. 2.* Hoc Theuda multò vetustior est is, cuius meminit Gamaliel Act. 5. 36. Solis eclipsis Augusti Kalendis actis publicis pręnotata. *Dio lib. 60.* Paulus Hierosolyma tertiò venit, missus ad concilium. *Act. 15. 1.*

---

*Anno Dn.* 46. *V. C.* 799. *Claudij* 6. *Solis* 27. *B. Lunæ* 9 *Epact.* 4. *C Valerio Asiatico II. M. Valerio Messala Coss.*

Paulus it Derbem, Lystram. *Actor. 16. 1.*

---

*Anno Dn.* 47. *V. C.* 800. *Claudij* 7. *Solis* 28. *A. Lunæ* 10. *Epact.* 15. *Ti. Claudio Augusto IV. L. Vitellio Nepote III. Coss.*

Octingentesimus à Romæ conditu annus ludis secularibus celebratur. *Tacit. Annal. lib. 1. Sueton. lib. 5. cap. 21.* Paulus it in Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem. *Act. 16. 6.*

---

*Anno Dn.* 48 *V. C.* 801. *Claudij* 7. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 11. *Epactæ* 26. *A. Vitellio, L. Vipsanio Poplicola Cofs.*

Paulus it Samothracem, Neapolim, Philippos, *Act. 16. 9.* Hinc excurrit in Illyricum vsque, *Rom. 15. 19.* vndę forsan redijt Philippos.

*Anno Dn.* 49. *V.C.* 802. *Claudij* 9. *Solis* 2. *E. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *Olymp.* 207. *C. Pompeio Gallo, Q. Verannio Nepote Coss.*

Olympias CCVII. publicis actis Romæ notatur. *Solinus cap. 2.* Paulus it Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicam, Berœam, Athenas. *Act. 17. 1.* Claudius Iudęos omnes ex Italia pellit. *Oros. lib. 7. cap. 6.*

*Anno Dn.* 50. *V.C.* 803 *Claudij* 10. *Solis* 3. *D. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *C. Antistio Vetere, M. Suillio Rufo Coss.*

Paulus Corinthum adueniens, comperit ibi Iudęos aliquot, à Claudio pulsos ex Italia, Corinthum nuper aduectos. *Act. 18. 1.* Scribit primam ad Thessalonicenses per eos qui reduxerant Silam & Timotheum.

*Anno Dn* 51. *V.C.* 804 *Claudij* 11. *Solis* 4. *C. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *Ti. Claudio Augusto V. Ser. Cornelio Scipione Coss.*

Paulus sesqui annum Corinthi manet. *Act. 18. 11.*

*Anno Dn* 52. *V.C.* 805 *Claudij* 12. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 15. *Epact.* 10. *P. Cornelio Fausto, L. Saluio Othone Coss.*

Paulus it Cenchreas, Ephesum, Cæsaream, Hierosolyma, Antiochiam, *Act. 18. 18.* Paulò post eò venit & Petrus, quem reprehendit Paulus, XIV. post suam conuersionem anno. *Galat. 2. 11.* Claudius duodecimo sui principatus anno Chalcidem eripit Herodi, cùm eâ fuisset potitus annos 4. eiusque loco Iturçam & Batanęam Philippi patrui, Trachonitim & Abylam Lysaniæ tetrarchias ei donat. *Ioseph. Antiq. lib. 20. cap. 5.* Gamalieli I. succedit Simeon II. filius annos 18. ad excidium vsque templi. *R. Dauid Ganz & Zacut.*

*Anno Dn.* 53. *V. C.* 806. *Claudij* 13. *Solis* 6. *G. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Olymp.* 208. *D. Iunio Silano, Q. Haterio Antonino Coss.*

Paulus it Ephesum. *Actorum 19. 1.*

*Anno Dn.* 54. *V. C.* 807. *Claudij* 14. *Solis* 7. *F. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *Q. Asinio Marcello, M. Acilio Auiola Coss.*

Claudius ab Agrippina vxore veneno tollitur III. Idus Octobris. Succedit Agrippinæ filius Nero. *Tacit. Annal. lib. 12. Sueton. cap. 45.* Claudio, qui Iudęos in Italia pędem ponere vetuerat, sublato, tum demum Paulus de Roma visitanda cogitat. *Act. 19. 21.* Hoc ipsum Romanis scribens, salutat *Rom. 16. 11.* pios familiæ Narcissi, qui perijt eodem quo Claudius anno. *Tacit. Annal. lib. 12.* Scripsit igitur Paulus post Claudij quidem obitum, sed ante Narcissi mortem, certè priusquam Narcissi mortem rescisceret. Iam tum moliebatur suum ad Hierosolymitanos iter. *Rom. 15. 25.* Sed quia volebat eò plerarumq; Græcarum Ecclesiarum eleemosynas ferre, colligendis ijs opus fuit triennio, bienniove.

*Anno Dn.* 55. *V. C.* 808. *Neronis* 1. *Solis* 8. *E. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *Nerone Claudio Augusto, L. Antistio Vetere Coss.*

Multi prędones, Pseudoprophetæ, & Pseudochristi Iudęam infestant. *Ioseph. Ant. lib. 20. cap. 6.* prout prędixerat Christus, Matth. 24. 5. Marc. 13. 6. Luc. 21. 8. Hinc colligit Iohannes 1. Epist. cap. 2. vers. 18. *instare nouißimum* Iudęorum videlicet *tempus*. Inter cęteros Ægyptius latro, de quo Act. 21. 38. à Felice Iudęæ pręfecto profligatur. *Ioseph. belli Iudaici lib. 2. cap. 23.* Paulus Ephesi scribit primam ad Corinthios, cohortans eos ad eleemosynas, quas Hierosolyma sit perlaturus, colligendas, quo modo Galatis quoque idem pręceperat, 1. Cor. 16. 1.

---

*Anno Dn. 56. V C. 809. Neronis 2. Solis 9. D. C. Lunæ 19. Epact. 24. Q. Volusio Saturnino, P. Cornelio Scipione Coss.*

Paulus it in Macedoniam. *Act. 20. 1.* Inibi scribit primam ad Timotheum, & secũdam ad Corinthios. In Achaiam iturus, transit per Cretam, ibique relinquit Titum. Redit in Macedoniam, ibique scribit ad Titum. *Tit. 1. 5.* Pontificale Damasi multis quidem mendis scatet, imprimis in numeris annorum, mensium, dierum. Sed in eo nihil minùs suspectum est quàm Consulum & Imperatorum notatio. Vult igitur Petrum Romam ingressum sub Nerone Cæsare, Linum Episcopum factum Saturnino & Scipione Coss. hoc est anno secundo Neronis Claudij. Eusebius autem errore procliui, putauit Petrum Romam ingressum secundo Claudij Neronis anno. Martyrologium Romanum Petri cathedram confert in Ianuarij 18. Is in feriam primam incidit hoc anno. Ita Roma videtur innuere se primam Petri concionem audiuisse secundo Neronis anno, Ianuarij 18. feriâ prima. Certè Petrum Romam ingressum ante hunc annum non est probabile. Cùm enim proprium Apostolorum munus esset Ecclesiarum fundamenta iacere, Paulus extra Iudęam nullum suscipiebat iter, nisi vt Ecclesiam aliquam fundaret ipse, vel à se fundatam in fide confirmaret. *Rom. 15. 20.* Cùm igitur primo Neronis anno scripserit se toties hactenus optasse Romam inuisere, *Rom. 1. 13.* non obscurè docet eam tum nondum ab vllo, qui quidem esset Apostolus propriè dictus, fuisse fundatam.

---

*Anno Dn. 57. V. C. 810. Neronis 3. Solis 10. B. Lunæ 1. Epact. 6. Olymp. 209. Nerone Claudio Aug. II. L. Calpurnio Pisone Coss.*

Post dies azymorum, quorum vltimus incidit in Idus Aprilis Philippis soluit Paulus. Sexto post die Troadem venit, Nisan 26. Aprilis 18. Ibi, quantumuis festinaret, moratus est septiduum, vt eo peracto, feriâ primâ, Iiar tertio Cœnam Dominicam celebraret, Aprilis 25. *Act. 20. 6. 7.* Hic concursus ferię primę cum tertio die mensis Iiar docet rem hoc anno gestam. Troade Paulus Hierosolyma venit, ibique capitur, ac Cæsaream deducitur. *Actor. 20. & 21.*

---

*Anno Dn. 58. V. C. 811. Neronis 4. Solis 11. A. Lunæ 2. Epact. 17. Nerone Claudio Augusto III. M. Valerio Messala Coss.*

Artaxata metropolis Armeniæ solo æquatur à Corbulone. *Tacit. Annal. lib. 13.*

*Anno*

*Anno Dn.* 59. *V.C.* 812. *Neronis* 5. *Solis* 12. *G. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *C. Vipsanio Poplicola, C. Fonteio Capitone Coss.*

Nero matrem Agrippinam occidit. *Tacitus annal. lib.* 14. Felix cùm Paulum Cæsareæ biennium detinuisset, successorem accipit Festum, à quo Paulus Romam missus hyemem agit Melitæ, *Act.* 24.27. *& seqq.* Sol deficit prid. Kalend. Maij. *Plin. lib.* 2. *cap.* 70.

*Anno Dn.* 60. *V.C.* 813. *Neronis* 6. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 4. *Epacta* 9. *Nerone Claudio August. IV. Cosso Cornelio Lentulo Coss.*

Paulus it Syracusas, Puteolos, Romam. *Actor.* 28.12. Romæ biennium commoratur, *Act.* 28.30.

*Anno Dn.* 61. *V.C.* 814. *Neronis* 7. *Solis* 14. *D. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Olymp.* 210. *C. Cæsonio Pæto, C. Petronio Sabino Coss.*

Paulus scribit secundam ad Thessalonicenses, ad Philippenses, Colossenses, Galatas, Ephesios, Hebræos, Philemonem. Festo defuncto succedit Albinus Iudææ præfectus. *Ioseph. Antiquit. lib.* 20, *cap.* 8.

*Anno Dn.* 62. *V.C.* 815. *Neronis* 8. *Solis* 15. *C. Lunæ* 6. *Epacta* 6. *P. Mario Celso, L. Asinio Gallo Coss.*

Brutus & Pallas à Nerone veneno perimuntur. *Tacit. Annal. lib.* 14. Iesus Anani F. incipit Iudæis intonare suum væ, quod toto septennio semper inculcauit, ad inchoatam vsque Hierosolymorum obsidionem. *Josephus belli Iud. lib.* 7. *cap.* 24. Cùm nulli comparerent accusatores Pauli, videtur obtinuisse veniam petendi Græciam, eâ lege vt die dictâ rursus se Prætorio sisteret: Troadem igitur petit, Corinthum, Miletum, Colossas. 2. *Timoth. IV.* 13.20. *Coloss. IV.* 7. *Philem.* 22.

*Anno Dn.* 63. *V.C.* 816. *Neronis* 9. *Solis* 16. *B. Lunæ.* 7. *Epact.* 12. *L. Memmio Regulo, Paulo Virginio Rufo Coss.*

Paulus hoc circiter anno Romam reuertitur causam acturus, quod primâ commoratione non licuerat propter accusatorum absentiam. Iohannes Apostolus Ephesum se confert sexto ante Neronis obitum anno, ibique manet annos 27. *Arabica Kirstenij.*

*Anno Dn.* 64. *V.C.* 817. *Neronis* 10. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *C. Lecanio Basso, M. Licinio Crasso Coss.*

Paulus Romæ scribit secundam ad Timotheum, ab omnibus se desertum queritur, sciens se breui quidem moriturum, victurum tamen ad proximum vsque annum. 2. *Timoth. IV.* 6.9.10.11.16.21. Nero Romam incendit XIV. Kalend. Septemb. *Tacit. Annal. lib.* 15. *Sueton. lib.* 6. *cap.* 29.

*Anno Dn.* 65. *V.C.* 818. *Neronis* 11. *Solis* 18. *F. Lunæ* 9 *Epact.* 4. *Olymp.* 211. *P. Silio Nerua, C. Iulio Vestino Coss.*

Coniurationem in se factam dete-

git Nero VI. Idus Aprilis. Lucanum & Senecam mori iubet. Vt iram in se concitatam in Christianos amoliatur, testes subornat qui Romam à Christianis incensam mentiantur. *Tacit. Ann. lib.* 15. Itaque si Paulus, si Petrus Iunij 29. præsente Nerone martyrium fecit, id necesse est in hunc annum conferre. Nam postea Neroni non licuit Romæ cruentis istis ludis vacare.

---

*Anno Dn.* 66. *V. C.* 819. *Neronis* 12. *Solis* 19. *E. Lunæ* 10. *Epacta* 15. *C. Suetonio Paulino I. Pontio Telesino Coss.*

Nero CCXI. Olympiadem, quæ debuerat anno superiore celebrari, iusserat in hunc annum differri, vt eius solennibus interesset, *Eusebius*, *Pausanias, Philostratus.* Discessit igitur ante veris huius anni exitum ex Italia. Cestius Syriæ præfectus Iudæos Hierosolyma vsque persequitur, vrbemq; cingit Octobr. XXX. cœpissetque facilè, si tentare fuisset ausus. Non ausus, factiosis animos auxit discessu suo. Incursionem hanc prædixerat Christus Lucæ 21. 20.

---

*Anno Dn.* 67. *V. C.* 820. *Neronis* 13. *Solis* 20. *D. Lunæ* 11. *Epact.* 26. *L. Fonteio Capitone, C. Iulio Rufo Coss.*

Isthmum Corinthiacum perfodere tentat Nero, *Lucianus.* Vespasianus in Iudæam mittitur cum summo imperio. Zelotæ templum faciunt suorum latrociniorum arcem, *Ioseph. belli Iudaïci lib.* 3. *cap.* 5. Hinc vel ab incursione Cestij ducit initium ἐρημώσεως de qua Daniel. 9. 27. Matth. 24. 15. Marc. 13. 14. Linus martyrio coronatur IX. Kalend. Octobr. *Damasus.*

---

*Anno Dn.* 68. *V. C.* 821. *Galbæ* 1. *Solis* 21. *C. B. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *C. Silio Italico, M. Galerio Trachalo Coss.*

Nero biennium in Græciâ moratus, reuertens Romam, Neapoli de motu Galliarum cognouit, paulò post Idus Martias. Perijt IV. Idus Iunij. Succedit Galba, *Sueton. Tacit.*

---

*Anno Dn.* 69. *V. C.* 822. *Vespasiani* 1. *Solis* 22. *A. Lunæ* 13. *Epactæ* 18. *Olymp.* 212. *Seru. Sulpitio Galba II. T. Vinio Rufino Coss.*

Occiduntur Galba XVII. Kalend. Februar. Otho XII. Kalend. Maij. Succedit Vespasianus, siue Vitellio, siue Neroni, *Sueton. Tacit.*

---

*Anno Dn.* 70. *V. C.* 823. *Vespasiani* 2. *Solis* 23. *G. Lunæ* 14. *Epactæ* 29. *Fl. Vespasiano August. T. Cæsare Vespasiano Coss.*

Titus patris Vespasiani legatus Hierosolymorum obsidionem inchoat Nisan XV. Aprilis 14. teste Iosepho, quem in hoc deceptum falsò suspicatus est Baronius. Seder Olam notat vt sub Nabuchodonosoro, sic sub Tito templum conflagrasse, quo tempore prima sacerdotum classis vices suas obibat. Ea suas hoc anno vices obire cœpit Iulij XXI. Sabbatho. Orientalis templi porticus incensa est Iulij XXIV. Occidentalis Iulij XXVII. *Ioseph. belli Iud. lib.*

7. *cap.*16.18. Simeoni II. succedit filius Gamaliel II. annos 5. *Zacut, Ganaz.*

---

*Anno Dn.* 71. *V. C.* 824. *Vespasiani* 3. *Solis* 24. *F. Lunæ* 15. *Epactę* 10. *Vespasiano Augusto IV. M. Cocceio Nerua Coss.*

Titus cum patre de Iudæis triumphat. Lupus Ægypti pręfectus Onion Iudęorum in Ægypto templum euertit, *Ioseph. belli Iudaici lib.* 7. *cap.* 24. 30.

---

*Anno Dn.* 72. *V. C.* 825. *Vespasiani* 4. *Solis* 25. *E. D. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Vespasiano Augusto IV. T. Cęsare III. Coss.*

Hoc anno Solem & Lunam intra duodecim dies defecisse putat Plinius lib. 2. cap. 13. excluso videlicet vtroq; termino. At insuper eo deceptus est Plinius, quod non animaduertit hunc annum esse bissextilem. Luna defecit Februarij 23. Sabbatho, Sol Martij 8. feriâ primâ. Medium interuallum est dierum quatuordecim.

---

*Anno Dn.* 73. *V. C.* 826. *Vespasiani* 5. *Solis* 26. *C. Lunæ* 17. *Epactę* 2. *Olymp.* 213. *Fl. Domitiano II. M. Valerio Messala Coss.*

Vespasianus philosophos vrbe pellit, *Xiphilinus.*

---

*Anno Dn.* 74. *V. C.* 827. *Vespasiani* 6. *Solis* 27. B. *Lunæ* 18. *Epactę* 13. *Vespasiano Augusto V. T. Cęsare III. Coss.*

Vltimum Romæ lustrum conditur. *Censorinus cap.* 18.

---

*Anno Dn.* 75. *V. C.* 828. *Vespasiani* 7. *Solis* 28. *A. Lunæ* 19. *Epactę* 24. *Vespasiano Augusto VI. T. Cęsare IV. Coss.*

Templum pacis consecrat Vespasianus, illatis multis ex Hierosolymitano templo donarijs, *Xiphilinus*, *Iosephus belli Iudaici lib.* 7. *cap.* 24. Gamaliel II. qui Simeoni II. patri successerat A. D. 70. quinquennio post patris obitum & excidium templi scholam erigit Iibnæ, cuius doctores dicti sunt Tannęi, תנאים, cùm antehac הראים Horręi dicerentur. Sunt hęc synonyma quidem, sed ad doctorum seculorumque distinctionem facientia. *Zacut, Dauid Ganaz.*

---

*Anno Dn.* 76. *V. C.* 829. *Vespasiani* 8. *Solis* 1. *G. F. Lunę* 1. *Epactę* 6. *Vespasiano Augusto VII. T. Cęsare V. Coss.*

P. Ælius Hadrianus, qui postea imperauit, nascitur, IX. Kalend. Februarij. *Spartianus.*

---

*Anno Dn.* 77. *V. C.* 830. *Vespasiani* 9. *Solis* 2. *E. Lunę* 2. *Epact.* 17. *Olymp.* 214. *Vespasiano Aug. VIII. T. Cęsare VI. Coss.*

Plinius opus suum Tito consecrat, his Coss. vt colligitur ex eius pręfatione, & lib. 28. cap. 2.

---

*Anno Dn.* 78. *V. C.* 831. *Vespasiani* 10. *Solis* 3. *D. Lunę* 3. *Epact.* 28. *L. Cejonio Commodo, C. Cornelio Prisco Coss.*

Vespasianus templi vero Deo consecrati euersor, fuit multorum falsis dijs consecratorum templorum instaurator hoc anno, *Gruter. pag.* 243.

*Anno Dn.* 79. *V. C.* 832. *Titi* 1. *Solis* 4. *C. Lunę* 4. *Epacta* 9. *Vespasiano Augusto IX. Tito Cęsare VII. Coss.*

Imp. Vespasiano succedit filius Titus, VIII. Kalend. Iun. *Sueton. cap.* 24. Plinius historiæ naturalis scriptor extinguitur in Vesuuio monte, vt docet alter Plinius Tacito scribens l. 6. ep. 16.

*Anno Dn.* 80. *V. C.* 833. *Titi* 2. *Solis* 5. *B. A. Lunę* 5. *Epact.* 20. *Tito Augusto VIII. Domitiano VII. Coss.*

Roma triduum igne cælitus delapso conflagrat. *Xiphilinus, Sueton. cap.* 8. Gamalieli II. succedit Akiba. *Ganaz, Zacut.*

*Anno Dn.* 81. *V. C.* 834. *Titi* 3. *Solis* 6. *G. Lunę* 6. *Epact.* 1. *Olympiad.* 215. *M. Plautio Siluano, M. Annio Vero Coss.*

Tito succedit Domitianus frater Idibus Septembr. *Sueton. cap.* 10. Huius anni Consul Verus est auus M. Aurelij, qui regnare cœpit A. D. 170. *Capitolinus.*

*Anno Dn.* 82. *V. C.* 835. *Domitiani* 1. *Solis* 7. *F. Lunę* 7. *Epact.* 12. *Domitiano Augusto VIII. T. Flauio Sabino Coss.*

Agricola post Consulatum suffectum Britanniæ pręficitur. *Tacit. in Agricola.*

*Anno Dn.* 83. *V. C.* 836. *Domitiani* 2. *Solis* 8. *E. Lunę* 8. *Epact.* 23. *Domitiano Augusto IX. T. Virginio Rufo Coss.*

Cletus E. R. obit VI. Kalend. Maij, *Damasus.* Agricola gentem Ordouicum in Britannia delet, Monam insulam capit sub autumni tempus, idque primo suo in Britanniam aduentu. *Tacitus.* Itaque quos postea recenset Tacitus Agricolæ in Britannia expeditionum annos, ij sunt à Ianuarijs sequentis anni Kalendis inchoandi.

*Anno Dn.* 84. *V. C.* 837. *Domitiani* 3. *Solis* 9. *D. C. Lunę* 9. *Epactę* 4. *Domitiano X. App. Junio Sabino Coss.*

Anacletus E. R. Cleto substituitur: *Damasus.*

*Anno Dn.* 85. *V. C.* 838. *Domitiani* 4. *Solis* 10. *B. Lunę* 10. *Epactę* 15. *Olymp.* 216. *Domitiano Augusto XI. T. Aurelio Fuluo Coss.*

Hadrianus patre orbatus, traditur in tutelam Traiani consobrini sui. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 86. *V. C.* 839. *Domitiani* 5. *Solis* 11. *A. Lunę* 11. *Epact.* 26. *Domitiano Augusto XII. Ser. Cornelio Dolabella Coss.*

Agonem ab Augusto post Actiacam victoriam institutum anno V. C. 723 instaurat Domitianus. *Censorin. cap.* 18.

T. Aurelius Fuluius Boionius, qui postea dictus est Antoninus pius, nascitur XIII. Kalend. Octobr. *Capitolinus.*

---

*Anno Dn. 87. V. C. 840. Domitiani 6. Solis 12. G. Lunæ 12. Epactæ 7. Domitiano Augusto XIII. A. Volusio Saturnino Coss.*

Primus Domitianus Dominum & Deum appellari se voluit. *Eusebius.*

---

*Anno Dn. 88. V. C. 841. Domitiani 7. Solis 13. F. E. Lunæ 13. Epact. 18. Domitiano Augusto XIV. L. Minutio Rufo Coss.*

Ludi seculares à Domitiano celebrantur. *Censorinus cap. 17.* Factum id alieno tempore. Differri debuerant in annum V. C. 847. Antecedentes enim ἑκατονταδεκαετεῖς celebrati fuerant anno V. C. 837. Sequentes celebrati sunt anno V. C. 957.

---

*Anno Dn. 89. V. C. 842. Domitiani 8. Solis 14. D. Lunæ 14. Epactæ 29. Olymp. 217. T. Aurelio Fuluo II. A. Sempronio Atratino Coss.*

Apollonius Tyaneus coram Domitiano sistere se iussus, dum causa agitur repente disparuit. *Philostrat. lib. 7. &* 8. Fuit hoc vel agyrtæ τέχνασμα, vel Satanæ strataragema. Erat enim Apollonius magus insignis.

---

*Anno Dn. 90. V. C. 843. Domitiani 9. Solis 15. C. Lunæ 15. Epact. 19. Domitiano Augusto XV. M. Cocceio Nerua Coss.*

Hadrianus XV. ætatis anno redit ad patriam, hoc est Italicam. *Spartianus.* Iohannes Apostolus annos 27. Ephesi commoratus, Domitiani iussu deportatur in insulam Pathmon. *Arabica Kirstenij.*

---

*Anno Dn. 91. V. C. 844. Domitiani 10. Solis 16. B. Lunæ 16. Epactæ 21. M. Vlpio Traiano, M. Acilio Glabrione Coss.*

Domitianus Agricolam à Britannia reuocat, quasi mittendum in Syriam. *Tacitus in Agricolæ vita.*

---

*Anno Dn. 92. V. C. 845. Domitiani 11. Solis 17. A. G. Lunæ 17. Epact. 2. Domitiano Aug. XVI. A. Volusio Saturnino Coss.*

Agrippa Lunam obseruat in Vergilijs anno Nabonassari 840. Tybi 2. cùm sol esset in quinto sagittarij gradu, Luna verò tertium Tauri gradum obtineret. *Ptol. lib. 7. 3.* Conuenit tempus Nouembris 29.

---

*Anno Dn. 93. V. C. 846. Domitiani 12. Solis 18. F. Lunæ 18. Epactæ 13. Olymp. 218. Pompeio Collega Cornelio Prisco Coss.*

Iulius Agricola supremum diem obit. *Tacitus in eius vita.*

---

*Anno Dn. 94. V. C. 847. Domitiani 13. Solis 19. E. Lunæ 19. Epactæ 24. L. Nonio Torquato, M. Arricino Clemente Coss.*

Iosephus suum Iudaïcarum originum opus absoluit, cùm esset ipse natus annos quinquaginta sex; vt ipse

profitetur sub finem eius operis.

---

*Anno Dn. 95. V.C. 848. Domitiani 14. Solis 20. D. Lunæ 1. Epact. 6. Domitiano Aug. XVII. T. Flauio Clemente Coss.*

Anacletus E. R. martyrium facit III. Idus Iulij. *Damasus.* Statius Papinius quartum syluarum librum inchoat à celebratione XVII. consulatus Domitiani.

---

*Anno Dn. 96. V.C. 849. Domitiani 15. Solis 21. C.B. Lunæ 2. Epact. 17. T. Fuluio Valente, C. Antistio Vetere Coss.*

Euaristus Anacleto substituitur. *Damasus.* Domitianus occiditur XIV. Kalend. Octobreis. Succedit Nerua. *Sueton. cap. 17.*

---

*Anno Dn. 97. V.C. 850. Neruæ 1. Solis 22. A. Lunæ 3. Epact. 28. Olymp. 219. Nerua Augusto III. T. Virginio Rufo III. Coss.*

Apollonius Tyaneus magus insignis moritur. *Philostrat. lib. 8.* Iohannes Apostolus ab exilio Pathmico relaxatur. *Euseb.* idque cùm in eo detentus fuisset annos septem. *Arabica Kirstenij.*

---

*Anno Dn. 98. V.C. 851. Traiani 1. Solis 23. G. Lunæ 4. Epact. 9. Nerua Augusto IV. Traiano Cæsare II. Coss.*

Nerua moritur VI. Kalend. Febr. Succedit Traianus adoptatus à Nerua. *Eutrop. lib. 8.* Menelaus obseruat Spicam à Luna penitùs opertam, anno Nabonassari 845. Mechir 15. cùm sol esset in XX. gradu Capricorni, & Luna distaret ab æstiuo Solstitio gradibus 85. *Ptolem. lib 7. cap. 3.* Conuenit id Ianuarij 10.

---

*Anno Dn. 99. V.C. 852. Traiani 2. Solis 24. F. Lunæ 5. Epact. 20. C. Sosio Senecione II. A. Cornelio Palma Coss.*

Traianus rebus in Gallia compositis Romam redit. *Dio.*

---

*Anno Dn. 100. V.C. 853. Traiani 3. Solis 25. E.D. Lunæ 6. Epact. 1. Traiano August. III. M. Cornelio Frontone III. Coss.*

B. Iohannes Apostolus placida compostus pace quiescit Decembris 27. Ephesi, feria prima, duodeseptuagesimo post Christi resurrectionem anno. *Hieron. in Iouinian. lib. 1. Martyrologia. Marianus Scotus. Vide & A.D. 103.* Traianus de Scythis & Dacis victoriam reportat. *Inscriptiones Adolphi*

---

*Anno Dn. 101. V.C. 854. Traiani 4. Solis 26. C. Lunæ 7. Epact. 12. Olymp. 220. Traiano Augusto IV. Sext. Articuleio Pæto Coss.*

Traianus Decebalum in Dacia profligat. *Dio.*

---

*Anno Dn. 102. V.C. 855. Traiani 5. Solis 27. B. Lunæ 8. Epact. 23. C. Sosio Senecione III. C. Licinio Sura II. Coss.*

Plinius Gallo lib. 4. epist. 17. *Rogas,*

inquit, *vt suscipiam absentis Corelliæ causam contra C. Cæcilium Consulem designatum.* Is Consul suffectus consulatum iniit Kalend. Iulijs cum Acilio Rufo hoc anno.

*Anno Dn.* 103. V. *C.* 856. *Traiani* 6. *Solis* 28. *A. Lunæ* 9. *Epact.* 4. *Traiano Augusto* V. *L. Appio Maximino Coss.*

Arabica Kirstenij volunt B. Iohannem Apostolum hoc anno mortuum Traiani sexto, post Christi passionem, LXXI. Ephesi mortuum consentiunt omnes, neque tamen Ephesinus Episcopus, multò minùs quisquam alius, fuit hæres illius auctoritatis, quam tot annos solus obtinuerat in Ecclesia, vt qui reliquis omnibus Apostolis multos annos superstes fuerit: videlicet Apostolis succedebant, non Apostoli, non vniuersales Christi legati, qualis per multos annos fuit Iohannes, isque solus, sed Apostolis succedebant Episcopi, suos quisque limites nacti.

*Anno Dn.* 104. V. *C.* 857. *Traiani* 7. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 10. *Epact.* 15. *Surano II. P. Neratio Marcello Coss.*

Traianus Romam reuersus liberalitate sua tribuum XXXV. commoda etiam locorum adiectione amplianda curat. *Inscriptiones Adolphi.*

*Anno Dn.* 105. V. *C.* 858. *Traiani* 8. *Solis* 2. *E. Lunæ* 11. *Epact.* 26. *Olymp.* 221. *Ti. Iulio Candido II. A. Iulio Quadrato Coss.*

Hadrianus fit Tribunus plebis. *Spartianus.* Terræ motus sex vrbes euertit. *Eusebius.*

*Anno Dn.* 106. V. *C.* 859. *Traiani* 9. *Solis* 3. *D. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *L. Ceionio Commodo, L. Tutio Cereali Coss.*

Traianus Seleuciam, Ctesiphontem, Babylonem capit. *Dio.*

*Anno Dn.* 107. V. *C.* 860. *Traiani* 10. *Solis* 4. *C. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *C. Sosio Senecione IV. L. Licinio Sura II. Coss.*

Traianus dæmonibus *ὠμηστῇ* sacrificans, sanguine Christianorum aras complet. *Euseb. lib. 3. cap. 26. & lib. 4. cap. 21.* Hadrianus fit Prætor. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 108. V. *C.* 161. *Traiani* 11. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *App. Annio Gallo, M. Attilio Bradua Coss.*

Euaristus Romæ Episcopus martyrio coronatur VI. Kalend. Nouembr. succedit Alexander. *Damasus, Eusebius.* Hadrianus Sarmatas comprimit, cùm esset legatus Prætorius. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 109. V. *C.* 862. *Traiani* 12. *Solis* 6. *G. Lunæ* 15. *Epact.* 10. *Olymp.* 222. *A. Cornelio Palma II. C. Caluisio Tullo II. Coss.*

Hic Tullus pater est Domitiæ Caluillæ, auus M. Aurelij, qui regnare cœpit A. D. 161. *Capitolinus.*

*Anno Dn.* 110. V. *C.* 863. *Traiani* 13. *Solis* 7. *F. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Clodio Crispino, & Orfito Coss.*

Pantheon fulmine concrematum. *Eusebius.* Non Agrippæ, vt rectè monet Scaliger, sed fortè Iouis vltoris, aut Mineruæ medicæ fuit istud Pantheon.

*Anno Dn.* 111. V. *C.* 864. *Traiani* 14. *Solis* 8. *E. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *L. Calpurnio Pisone, Vestio Rustico Bolano Coss.*

His Coss. suffecti sunt L. Fabius Iustus & C. Iulius Vrsus Seruilius Seruianus II. qui duxit sororem Hadriani, cuique semper magnum honorem habuit Hadrianus. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 112. V. *C.* 865. *Traiani* 15. *Solis* 9. *D. C. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *Traiano Augusto* VI. *C. Iulio Africano II. Coss.*

Hadrianus Athenis Prætor factus. Romæ mulier quædam monstrum biceps peperit. *Phlegon.*

*Anno Dn.* 113. V. *C.* 866. *Traiani* 16. *Solis* 10. *B. Lunæ* 19. *Epacta* 24. *Olymp.* 223. *L. Publilio Celso II. C. Clodio Crispino Coss.*

Lyttij Traianum, vt orbis conditorem, venerantur. *Inscriptiones Gruteri pag.* 1084.



*Anno Dn.* 114. V. *C.* 867. *Traiani* 17. *Solis* 11. *A. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *Q. Ninnio Hasta, P. Manlio Vopisco Coss.*

Roma columnam erigit Traiano tantæ altitudinis, quantæ mons quem egerendum curauit Traianus, vt molitionibus suis locum faceret. *Inscriptiones Gruteri pag.* 247.

*Anno Dn.* 115. V. *C.* 868. *Traiani* 18. *Solis* 12. *G. Lunæ* 2. *Epact.* 16. *M. Valerio Messala, C. Popilio Pedone Coss.*

Traianus & Pedo Consul Antiochiæ cùm essent, totam propemodum vrbem obruit terræ motus. Nihilominus in instituto pergit Traianus, in Orientem pergit, Tigrim traijcit, Adiabenem subigit, Ctesiphontem & Babylonem vsque peruadit: mox incolarum, qui lubentes ad ipsum defecerant, leuitate factum, vt qui iam spe totum Orientem deuorabat, ad sua tutanda cogeretur pedem referre. *Xiphilinus.* Quippe Iudæi 1. Traianum ineluctabili bello implicitum arbitrati: 2. sibi persuadentes hoc terræ motu ruinam imperij Romani portendi: 3. putantes à primo Cyri anno ad hunc fluxisse tantùm annos 483. & consequenter Danielis hebdomadum vnicam tantum superesse, coniuratione factâ, Romanorum incredibilem stragem edunt, varijs quidem per varias prouincias ducibus vsi, sed quorum supremus dux diceretur Barcocab. *Eusebius, David Ganz.*

*Anno*

*Anno Dn.* 116. V. *C.* 869. *Traiani* 19. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *Aimiliano Æliano, L. Antistio Vetere Coss.*

Alexander Rom. Episcopus martyrio coronatur V. Non. Maij. Succedit Xistus. *Damasus.*

*Anno Dn.* 117. V. *C.* 870. *Hadriani* 1. *Solis* 14. *D. Lunæ* 4. *Epact.* 9. *Olymp.* 224. *Quintio Nigro, T. Vipsanio Aproniano Coss.*

Traiano succedit Hadrianus, Augusto mense. *Spartianus, Dio.*

*Anno Dn.* 118. V. *C.* 871. *Hadriani* 2. *Solis* 15. *C. Lunæ* 5. *Epactæ* 20. *Traiano Hadriano Augusto II. T. Claudio Fusco Coss.*

Hadrianus ex Syria per Illyricum Romam redit. *Dio.* Transijt etiam per Pannoniam, in qua cùm esset, audire voluit Herodem Attici filium adhuc iuuenem declamantem. Is repente cùm obmutuisset, propemodum animum despondit, postea tamen euasit insignis orator. *Philostratus.*

*Anno Dn.* 119. V. *C.* 872. *Hadriani* 3. *Solis* 16. B. *Lunę* 6. *Epact.* 1. *Hadriano Augusto III. Q. Junio Rustico Coss.*

Pacem cum Roxolanis auro redimit Hadrianus. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 120. *V. C.* 873. *Hadriani* 4. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *L. Catilio Seuero, L. Aurelio Fuluo Coss.*

Terræ motus Nicomediam & aliquot vrbes circumiacentes euertit. *Euseb.*

*Anno Dn.* 121. *V. C.* 874. *Hadriani* 5. *Solis* 18. *F. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Olymp.* 225. *M. Annio Vero II. & Augure Coss.*

Hadrianus in Lybiam, quæ à Iudæis vastata fuerat, colonias deducit. *Euseb.* Anno quinquagesimo secundo à desolatione templi vastata est Bitter ciuitas. *Minus Hebræorum Chronicon.* Ea videtur in Africa fuisse. Vt vt sit, hæc est ciuitas, in qua primum pro Messia cultus, & inunctus fuerat à Iudæis Barcocab, stellam se dicens Num. XXIV. prædictam; vbi verò compertum est eum esse merum impostorem, tum demum à Iudæis ipsis dictus est *Barcozba.* i. filius mendacij. *Dauid Ganaz.*

*Anno Dn.* 122. V. *C.* 875. *Hadriani* 6. *Solis* 19. *E. Lunæ* 9. *Epact.* 4. *M. Aciolo Auiola, C. Corellio Pansa Coss.*

Aquila Biblia Græcè vertit. *Athanas.* Erat quidem is Iudæus, distinguendus tamen ab Akiba Iudæo, qui tum viuebat, & cum suis discipulis (ij fuisse dicuntur XXIV. M.) occisus est hoc circiter anno. Huic succedit Simeon III. Gamalielis II. filius. *Ganaz.* Erat Akiba Cozibæ regis armiger, quem cum om-

nibus Iudæorum sapientibus Messiam esse putabat, licet miracula nulla patraret. *R. Moses Misnæ capite penultimo.*

---

*Anno Dn.* 123. V. *C.* 876. *Hadriani* 7. *Solis* 20. *D. Lunæ* 10. *Epact.* 15. *Q. Arrio Petino, C. Ventidio Aproniano Coss.*

Athenis per Cretam in Italiam rediens Hadrianus, à Littijs honoratur illustribus elogijs. *Inscriptiones Gruteri p.* 1084.

---

*Anno Dn.* 124. V. *C.* 877. *Hadriani* 8. *Solis* 21. *C. B.* Lunæ 11. *Epact.* 26. *M. Acilio Glabrione, C. Bellicio Torquato Coss.*

Hadrianus per Siciliam rediens in Italiam, Ætnæ montis contemplatur miracula. *Spartianus.*

---

*Anno Dn.* 125. V. *C.* 878. *Hadriani* 9. *Solis* 22. *A.* Lunæ 12. *Epact.* 7. *Olymp.* 226. *P. Cornelio Scipione II. Q. Vestio Aquilino Coss.*

Claudius Ptolemæus insignis astronomus Alexandriæ nono Hadriani anno Lunæ deliquium obseruat Pachon 17. anno Nabonassari 872. *Ptolem. l. 4. c.* 9. Tempus conuenit Aprilis quinto. Hadrianus ex Italia transit in Africam. *Spartianus.*

---

*Anno Dn.* 126. V. *C.* 879. *Hadriani* 10. *Solis* 23. *G.* Lunæ 13. *Epact.* 18 *Candido Vero II. Ambiguo Vibullio Coss.*

Xystus E. R. martyrio coronatur VIII. Idus April. Succedit Telesphorus. *Damasus*, Ex Africa Romam reuersus Hadrianus, Athenas se confert, *Spartianus.* Ibi lectâ Quadrati Apostolorum discipuli pro Christianis apologia, persecutionem sedauit. *Hieronym. Euseb.*

---

*Anno Dn.* 127. *V. C.* 880. *Hadriani* 11. *Solis* 24. *F. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *Gallicano & Cælio Titiano Coss.*

Imp. Hadrianus pater patriæ appellatur. *Euseb.*

---

*Anno Dn.* 128. *V. C.* 881. *Hadriani* 12. *Solis* 25. *E. D. Lunæ* 15. *Epact.* 10. *L. Nonio Asprenate, M. Annio Libone Coss.*

Hadrianus instaurat Hierosolyma & Æliam nuncupat. *Epiphanius.* Ea res Iudæis nouorum tumultuum occasio fuit.

---

*Anno Dn.* 129. *V. C.* 882. *Hadriani* 13. *Solis* 26. *C. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Olymp.* 227. *P. Iuuentio Celso II. Q. Iulio Balbo Coss.*

Hadrianus in Ægypto suum exoletum Antinoum diuinis honoribus colit. *Spartianus.*

---

*Anno Dn.* 130. *V. C.* 883. *Hadriani* 14. *Solis* 27. B. *Lunæ* 17. *Epact.* 2. *Q. Fabio Catullino, M. Flauio Apio Coss.*

Saluius Iulianus ius perpetuum componit. *Euseb.* Id exigebat vicesimam cuiusuis hæreditatis tam ex Italia quàm

ex reliquis prouincijs; & abrogatum fuit A.D.531. à Iustiniano. Hic Iulianus videtur is esse, qui consulatum gessit A.D.148.

---

*Anno Dn.* 131 *V. C.* 884. *Hadriani* 15. *Solis* 28. *A. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *Ser. Octauio* Lana, L. *Antonio Rufino Coss.*

Hadrianus iterum Athenas inuisit, & panathenaicum agonem instaurat pridem desitum. *Euseb. Philostrat. l.* 1.

---

*Anno Dn.* 132. *V. C.* 885. *Hadriani* 16. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 19. *Epact.* 24. *Sentio Augurino, Arrio Seueriano Coss.*

Rursus rebellantes Iudæi, rursus opprimuntur. *Euseb.*

---

*Anno Dn.* 133. *V. C.* 886. *Hadriani* 17. *Solis* 2. *E. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *Olymp.* 228. *Hybero & Iullio Silano Sisenna Coss.*

Ptolemæus obseruat Alexandriæ Lunæ deliquium Hadriani 17. Payni 20. Tauronis 13. *Ptol. l.* 4. *c.* 6. Tempus conuenit Maij sexto, feriâ tertiâ.

---

*Anno Dn.* 134. *V. C.* 887. *Hadriani* 18. *Solis* 3. *D. Lunæ* 2. *Epact.* 17. *Seruiano III. Varo Coss.*

Ptolemæus l.4. c. 7. testatur obseruasse se Lunæ deliquium anno Nabonassari 882. Chœac 2. Id conuenit Octobris 20. Bellum à Barcozba pridem inchoatum tandem conficitur. *Eusebius.* In eo perierunt Iudæorum octies millies centena millia. *Rabba in Genesim Sect.* 65.

---

*Anno Dn.* 135. *V. C.* 888. *Hadriani* 19. *Solis* 4. *C. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *Pompeiano* Luperco, L. *Iulio Attico Coss.*


Herodes Atticus liberas in Asia ciuitates regit. *Philostratus l.* 1.

---

*Anno Dn.* 136. *V. C.* 889. *Hadriani* 20. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 4. *Epact.* 9. *L. Ceionio Commodo Vero, Sex. Vetuleno Pompeiano Coss.*

*Ptolemæus l.* 4. *c.* 7. Vicesimo Hadriani anno obseruasse se dicit eclipsim Lunæ Pharmuthi 19. Ichthyonis 14. Tempus conuenit Martij sexto. Huius anni Consulem Commodum adoptans Hadrianus, iussit ab eo M. Annium Verum adoptari, qui iam à proauo materno Catilio Seuero adoptatus fuerat.





# ECCLESIÆ CHRISTIANÆ
## CENTVRIA SECVNDA.

*Anno Domini* 137. *Urbis conditæ* 890. *Hadriani* 21. *Solis* 6. *G. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Olympiad.* 229. *L. Ælio Vero Cæsare II. P. Cælio Balbino Coss.*



L. Verus Cæsar primo sui secundi consulatus die perit, Kalend. Ianuarijs. *Spartianus.* Erat illi filius Lucius, & Marcum adoptare iussus fuerat: sed quia iuuenes erant ambo, Hadrianus Pium adoptat, ab eoque Marcum adoptari iubet.

Secundo Antonini anno, Nabonassari 886. Epiphi 2. Ptolemæus obseruat cor leonis in Geminorum gradu 17. cùm Sol esset in Tauronis 25. Luna in Didymonis 12. *Ptolem. lib.* 9. *cap.* 10. Tempus conuenit Maij 17. Valentinus hæreticus Romam venit sub Hygino & Pio. *Jren. lib.* 3. *cap.* 4.

*Anno Dn.* 138. *V. C.* 891. *Antonini Pij* 1. *Solis* 7. *F. Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Sulpitio Camerino, Quintio Nigro Magno Coss.*

Hadrianus perit IV. Idus Iulij. Succedit Antoninus Pius adoptatus ab Hadriano, V. Kalend. Mart. *Spartianus.* Telesphorus E. R. obit Non. Ianuarij. Episcopatus cessat dies VII. excluso videlicet vtroque termino. Succedit Hyginus IX. E. R. Idibus Ianuarijs, feriâ primâ. *Damasus.*

*Anno Dn.* 139. *V. C.* 892. *Antonini Pij* 2. *Solis* 8. *E. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *T. Ælio Anton. Pio Aug. II. Brutio Præsente Coss.*

*Anno Dn.* 140. *V. C.* 893. *Pij* 3. *Solis* 9. *D. C. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Pio Augusto III. M. Ælio Aurelio Antonino Coss.*

Apollinis Palatini templum ampliatur. *Gruteri Inscriptiones pag.* 126. & 254. Pius Faustinam vxorem amittit, ac deam facit. *Capitolinus.* Cerdon hæreticus Romam venit sub Hygino. *Jren. lib.* 1. *cap.* 18. Æquinoctium vernum obseruasse se dicit Ptolemæus lib. 3. cap. 2. *Pachon* 7. *autumnale Athyr* 9. *Solstitium Mesori* 11. Legendum, *Pachon* 6. *sequente* 7. *Athyr* 8. *sequente* 9. *Mesori* 9. *sequente* 10. hoc est, Martij 22. Septembris 25. Iunij 23.



*Anno Dn.* 141. *V. C.* 894. *Pij* 4. *Solis* 10. B. *Lunæ* 9. *Epact.* 4. *Olymp.* 230. *M. Peducæo Priscino, Hænio Seuero Coss.*

Qui Seuerus hîc dicitur, in plerisq; Fastis videtur à Cassiodoro dici Seleucus, cui Gratum collegam assignat, siue suffectus is fuit Priscino, siue Priscinus etiam Gratus dictus est.

*Anno Dn.* 142. *V. C.* 895. *Pij* 5. *Solis* 11. *A. Lunæ* 10. *Epact.* 15. *L. Cuspio Rufino, L. Statio Quadrato Coss.*

Certamen ἰταλικὸν instituitur Puteoli. *Gruter. pag.* 254. Hyginus E. R. obit III. Idus Ianuar. Orphito & Prisco Coss. *Damasus.* Videntur hi suffecti fuisse. Succedit Pius. Apollinaris aduersus Miltiadem & Montanum hæreticos scribit, sub Proconsulatu Grati. *Euseb. hist. l.* 5. *c.* 15. Hic Gratus videtur is esse, cuius Consulatum confert Cassiodorus in quartum annum Pij. Hoc anno certè iam serpebat Montani lues, vt ex ijs colligimus quæ notamus A. D. 181. Prophetidas tamen fortasse non ante Pij XIX. annum instituisse videtur, vt ex Epiphanio notamus A. D. 156.

*Anno Dn.* 143. V. *C.* 896. *Pij* 6. *Solis* 12. *G. Lunæ* 11. *Epact.* 26. *C. Bellicio Torquato, Ti. Claudio Herode Coss.*

Hic est Herodes Attici, qui dicitur etiam Herodes Atticus, cuius inscriptiones duas luculentissimis notis illustrauit Cl. Salmasius V. Cl. quemque passim celebrat Philostratus, vt Sophistarum sui seculi facilè principem.

*Anno Dn.* 144. V. *C.* 897. *Pij* 7. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *Auito Lolliano, C. Ganio Maximo Coss.*

Marcionitæ numerabant annos 115. à Tiberij XV. ad eum annum, quo Marcion sub Antonino Pio docere cœpit. Sic enim intelligenda videntur Tertulliani verba scribentis aduersus eos lib. 1. cap. 19.

*Anno Dn.* 145. V. *C.* 898. *Pij* 8. *Solis* 14. *D Lunæ* 13. *Epact.* 18. *Olymp.* 231. *Pio Augusto IV. M. Ælio Aurelio Cæsare II. Coss.*

Taurus Berytius Platonicus floret. *Euseb.* Is est, quem toties celebrat Gellius.

*Anno Dn.* 146. V. *C.* 899. *Pij* 9. *Solis* 15. *C. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *Sex. Erucio Claro II. Cn. Claudio Seuero Coss.*

Inter Verissimi Cæsaris præceptores celebrantur Arrianus Nicomediensis, Maximus Tyrius, Apollonius Stoïcus Chalcidic⁹, Basilides Scythopolitanus. *Euseb.* Illius Arriani extat periplus maris Erythræi, & periplus Euxini Ponti. Huius verò Maximi extant orationes Græcæ perquam elegantes. Florebat quoque tum Apollinaris Philosophus, quem vt sibi notum celebrat, cuiusque literas ad Clarum Consulem memorat Gellius lib. 13. cap. 17. Pium E. R. his Coss. sedere cœpisse vult Damasus. Quod si verum est, cessauit Episcopatus annos quatuor.

*Anno Dn.* 147. V.*C* 900. *Pij* 10. *Solis* 16 B. *Lunæ* 15 *Epact.* 10. *M. Valerio Largo, M. Valerio Messalino Coss.*

Ab excidio Hierosolymorum ad decimum Antonini Pij 77. annos numerat Clemens Strom. lib. 1. Nongentesimum Vrbis annum magnificè celebrat Pius. *Victor.*

*Anno Dn.* 148. V.*C* 901. *Pij* 11. *Solis* 17. *A. G* *Lunæ* 16. *Epact* 21. *C. Bellicio Torquato II. M. Saluio Juliano II. Coss.*

Hic Iulianus edicti perpetui, de quo diximus A. D. 130. conditor est, proauus maternus Iuliani, qui regnare cœpit A. D. 193.

*Anno Dn.* 149. V.*C* 902. *Pij* 12. *Solis* 18. *F. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *Olymp.* 232. *Ser. Cornelio Orphito, Q. Nonio Prisco Coss.*

Aut asystata dicit Damasus, aut Orphitus & Priscus, sub quibus Hyginum obijsse vult, alij sunt ab huius anni Coss. Orphitus autem huius anni Consul is esse videtur, à quo nuncupatur Senatus consultum Orphitianum, de quo Pandectarum lib. 38. tit. 17.

*Anno Dn.* 150. *V. C.* 903. *Pij* 13. *Solis* 19. *E. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *Romulo Gallicano, Antistio Vetere Coss.*

Pius E. R. obit V. Id. Iulij. Cessat Episcopatus dies 14. Succedit Anicetus XI. E. R. *Damasus.* Creatus est igitur Anicetus Iulij XXV. feriâ VI.

*Anno Dn.* 151. *V. C.* 904. *Pij* 14. *Solis* 20. *D. Lunæ* 19. *Epact.* 24. *Sex. Quintiliano Gordiano, Sex. Quintilio Maximo Coss.*

Iustinus Martyr Apologiam pro Christianis Imp. Pio & Marco Lucioque Cæsaribus profitetur se scribere 150. post Christi natiuitatem annis, quibus verbis hunc vel circiter annum videtur designare. Eusebius tamen eam confert in A. D. 141.

*Anno Dn.* 152. *V: C.* 905. *Pij* 15. *Solis* 21. *C. B. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *Sex. Acilio Glabrione, C. Valerio Omullo Coss.*

Pius Iustini Martyris, vt videtur, apologia commotus, in gratiam Christianorum edictum promulgat, quod refert Eusebius l. 4. c. 11. vbi perperam Pium vocat *Consulem III.* cum scribere debuerit IV.

*Anno Dn.* 153. *V. C.* 906. *Pij* 16. *Solis* 22. *A. Lunæ* 2. *Epact.* 17. *Olymp.* 233. *Brutio Præsente II. M. Antonio Rufino Coss.*

Ad hos vsque Consules Anicetum Episcopum fuisse vult Damasus, siue mortuus, siue pulsus in exilium fuerit his Coss.

*Anno Dn.* 154. *V. C.* 907. *Pij* 17. *Solis* 23. *G. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *L. Ælio Aurelio Vero Cæs. Sextilio Laterano Coss.*

Primus huius anni Consul filius est

L. Commodi, qui consulatum gessit A.D. 136. & 137.

---

*Anno Dn. 155. V. C. 908. Pij 18. Solis 24. F. Lunæ 4. Epact. 9. C. Iulio Seuero, M. Rufino Sabiniano Coß.*

Sub Aniceto Romam adueᴄta Marcellina, Carpocratis, qui se γνωστικὸν dicebat, hæresi multos infecit. Inter hæreses illorum etiam hæc memoratur, quod clanculum Christi statuas ac pictas imagines, quas Pilati iussu factas esse dicebant, asseruarent. *Epiphanius hær. 27.*

---

*Anno Dn. 156. V. C. 909. Pij 19. Solis 25. E. D. Lunæ 5. Epact. 20. Plautio Siluano, Sentio Augurino Coß.*

Etiam si Montanus decimoquinto ante hunc anno suum virus spargere cœperit, tamen quùm Epiphanius in vndeuicesimum Pij annum conferat exortum Montani, hæresi 48. rationi consentaneum est noui quidpiam hoc anno tentatum à Montano: puta, potuit hoc demum anno Prophetidas instituere populares suas Priscillam & Maximillam Pepuzæ Phrygiæ ciuitate natas, ac eam ob causam Pepuzam Hierosolyma nuncupare. Eorum autem quæ Montano tribuuntur, quædam Montani propria sunt, quædam à Montanistis post Montani mortem adiecta, quædam Montanistis affiᴄta. Montani proprium est quod promissionem de S. S. missione dilatam ad sua tempora, & in se completam esse dicebat, quod nondum possent Ecclesiæ portare seuerioris ac sanctioris disciplinæ iugum, quod inuehebat institutis xerophagijs, ieiunijs & monogamia.

A Montanistis, vbi suum numerum auctum viderunt, institutum quod illis tribuit Hieronymus ad Marcellam to. 3. ep. 9. vt scilicet haberent 1. Patriarchas. 2. Cenonas, quæ vox videtur esse Phrygiæ originis. 3. Episcopos. Montanistis affictum est, quod Hieronymus ibidem illis ita tribui dicit à quibusdam, vt ipse profiteatur id se nolle credere, quod videlicet infanti sanguinem exprimerent, quem admiscerent farinæ, ex qua conficiebant Eucharistiam. Hoc si cui potest hæresi verè tribui, tribuendum potiùs Carpocratianis, quàm Montanistis. Sed quia quidam vtrosque Gnosticos dicebant, vt pote scientiæ opinione tumidos, ideò procliue fuit Montanistis ea tribuere, quæ Carpocratianorum erant propria. Sic quia Montanus quasi S. S. plenus homines Dei Patris nomine compellabat, ideò creditus est personas Trinitatis in vnum confundere, quod centum demum post hunc annis à Sabellianis fuit inuentum. Tertullianus de monogamia c. 3. *Cur non potuerit post Apostolos idem Spiritus superueniens ad deducendam disciplinam in omnem veritatem per gradus temporum supremam iam carni fibulam imponere: iam, non obliquè à nuptijs auocans, sed exertè, quum magis nunc tempus in collecto factum sit annis circiter CLX. exinde productis,* ab Olympiade quæ Christi natalem proximè præcessit ad annum hunc; vel à Tiberij, sub quo S. S. acceperunt Apostoli, morte, ad A. D. 197. circa quem Tertullianus de monogamia scripsit.

*Anno Dn.* 157. *V. C.* 910. *Pij* 20. *Solis* 26. *C. Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Olymp.* 234. *Barbato & Regulo Coss.*

Primus huius anni Consul à Philostrato l. 1. nuncupatur *Barbarus*, idque meâ sententiâ mendosè, quum eius cum Polemone colloquium recenset.

*Anno Dn.* 158. *V. C.* 911. *Pij* 21. *Solis* 27. *B. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *Q. Flauio Tertullo, Licinio Sacerdote Coss.*

Ab hoc Tertullo quidam dictum volunt Tertyllianum Senatus consultum, de quo Digestorum, l. 38. tit. 17. quàm bene, viderint eruditi.

*Anno Dn.* 159. *V. C.* 912. *Pij* 22. *Solis* 28. *A. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Plautio Quintillo, Statio Prisco Coss.*

Ianuarijs huius anni Kalendis currebat adhuc XXI. annus Pij, poterat tamen iam tum dici XXII. Ita poterat Pius secundorum suorum decennalium vota soluere, tertiorum vota suscipere, prout ab illo factum testantur inscriptiones ab Adolpho productæ.

*Anno Dn.* 160. *V. C.* 913. *Pij* 23. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 9. *Epact.* 4. *T. Vibio Varo, Appio Annio Bradua Coss.*

Huius Braduæ soror Regilla nupserat Herodi, qui Consul fuit A. D. 143. Regillam grauidam Alcimedon Herodis libertus ita percussit, vt ex ictu mortua sit cum embryone mensium octo. Regillæ frater Bradua Herodem accusat, vt cædis illius auctorem. Herodes pernegat. Erat Braduæ magna nobilitas, auctoritas magna. *Sed tamen, plus virium habuit veritas*, inquit Philostratus de Sophistis l. 2. Herodi, ni fallor, blandiens.

*Anno Dn.* 161. *V. C.* 914. *M. Aurelij* 1. *Sol.* 2. *E. Lun.* 10. *Epact.* 15. *Olymp.* 235. *M. Ælio Aurel. Aug. III. L. Ælio Aurelio Aug. II. Coss.*

Marcus *per annos viginti tres in domo Patris i.* Pij, *ita versatus est, vt eius amor quotidie cresceret*, inquit Capitolinus. Ideoque Pio Nonis Martij defuncto succedit Marcus, Annij Veri filius, qui primum à proano materno Catilio Sereno, secundò à Lucio Commodo, tertiùm à Pio fuerat adoptatus. Is Lucium L. Commodi, à quo secundùm fuerat adoptatus, filium, vt fratrem, Imperij consortem facit, sextoque post mense filium adeptus Kal. Septembris eum de patris adoptiui nomine Commodum nuncupauit.

*Anno Dn.* 162. *V. C.* 915. *M. Aurelij* 2. *Solis* 3. *D. Lunæ* 11. *Epact.* 26. *Q. Iunio Rustico II. Vettio Aquilino Coss.*

Anicetus Ep. R. obit V. Kal Maij. Succedit Soter XII. E. R. *Damasus.*

*Anno Dn.* 163. *V. C.* 916. *M. Aurelij* 3. *Solis* 4. *C. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *L. Papyrio Æliano, Iunio Pastore Coss.*

Vologeses rex Parthorum vicinas sibi

sibi prouincias populatur. *Euseb.* Hanc ob causam M. Aurelius L. fratrem, qui iam ante biennium Athenas se contulerat, iubet propius ad Orientem accedere. Antiochiæ tamen substitit, luxu & fastu principem agens.

---

*Anno Dn.* 164. *V. C.* 917. *M. Aurelij* 4. *Solis* 5. *B. A. Lunę* 13. *Epact.* 18. *C Iulio Macrino*, L. *Cornelio Celso Coss.*

Etiam si Lucius Antiochiæ nepotem ageret, tamen legatorum eius virtute & Marci sollicitudine factum vt Assyriæ ciuitas Seleucia cum trecentis hominum millibus capta sit. *Euseb. Capitolinus.* Sed hæc victoria funesta fuit imperio Rom. Nam inde lues orta totum imperium Rom. est populata. *Ammianus, Marcellinus l.* 23.

---

*Anno Dn.* 165. *V. C.* 918. *M. Aurelij* 5. *Solis* 6. *G. Lunę* 14. *Epactę* 29. *Olymp.* 236. *Seruilio Pudente*, L. *Cornelio Scipione Coss.*

Dum Parthicum bellum geritur, natum est Marcomannicum. *Capitolin.* Peregrinus insignis impostor immortalitatis famam captans, ardentem flammam frigidus insilit olympico ludicro, teste Luciano, qui se fidelibus oculis id vidisse dicit. Perperam igitur in Eusebij Chronico differtur id in sequentem annum: contra triumphus Parthicus huic anno perperam tribuitur, qui sequenti conuenit.

---

*Anno Dn.* 166. *V. C.* 919. *M. Aurelij* 6. *Solis* 7. *F. Lunę* 15. *Epactæ* 10. *Seruilio Pudente II. T. Vitrasio Pollione Coss.*

Lucius expeditione quinquennali defunctus de Parthis triumphat. *Capit.* Sed triumphi lætitiam temperauit Marcomannici belli metus & lues tam atrox, vt etiam Galenus medicus Româ Pergamum vsque, vnde natus erat, fugerit. Is vixit ad Pertinacis vsque tempora, qui regnauit A. D. 193.

---

*Anno Dn.* 167. *V. C.* 920. *M. Aurelij* 7. *Solis* 8. *E. Lunę* 16. *Epactæ* 21. L. *Aurelio Vero Aug. III.* L. *Numidio Quadrato Coss.*

Ethnici luis & aliarum huiusmodi calamitatum, quibus vexabantur, causam in Christianos conferentes, cruentam persecutionem excitant, quæ Polycarpum in Asia, Lugdunenses multos absumpsit in Gallia. *Euseb. in Chron. & hist. l.* 5. *c.* 1.

---

*Anno Dn.* 168. *V. C.* 921. *M. Aurelij* 8. *Solis* 9. *D. C. Lunę* 17. *Epact.* 2. L. *Vettio Paulo, T. Iunio Montano Coss.*

Aduersus Marcomannos ambo proficiscuntur Imperatores, Aquileiam, dein Alpes transgressi componunt ea quæ pertinent ad Italiæ & Illyrici tutelam. *Euseb. Capitol.*

---

*Anno Dn.* 169. *V. C.* 922. *M. Aurelij* 9. *Solis* 10. *B. Lunę* 18. *Epact.* 13. *Olymp.* 237. *Sosio Prisco, Q. Cælio Apollinare Coss.*

Lucium ad hunc annum vsque vixisse docent Inscriptiones quas refert Gruterus p. 253. Errant igitur qui mortem eius ante hunc annum conferunt.

*Anno Dn.* 170. *V. C.* 923. *M. Aurelij* 10. *Solis* 11. *A. Lunæ* 19. *Epact.* 24. *M. Aurelio Seuero Cethego, L. Iunio Claro Coss.*

Soter E. R. obit. Succedit Eleutherius XIII. E. R. *Damasus.* Lucius reuersus Aquileiam dum à Marco deducitur Altinum, apoplexia corripitur, ac moritur, cùm vixisset annos 42. *Capitolinus.* Perijt annis decem ante Marcum. *Galenus.* Persecutionis incentore sublato, Melito Sardensis Episcopus, & alij Marco suas offerunt apologias.

*Anno Dn.* 171. V. *C.* 924. *M. Aurelij* 11. *Solis* 12. *G. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *L. Septimio Seuero II. & Herenniano Coss.*

Apollinaris & Montanistarum hoc demum anno meminit Eusebius. Vide A. D. 142. & 189. M. Aurelius amisso Lucio redijt ad Marcomannos, ita tamen vt arcem belli collocaret Sirmij Pannoniæ ciuitate. *Philostratus in Herode.*

*Anno Dn.* 172. V. *C.* 925. *M. Aurelij* 12. *Solis* 13 *F. E. Lunæ* 2. *Epact* 17. *Claudio Maximo, Cornelio Scipione Orphito Coss.*

Tatianus Iustini, de quo diximus A. D. 151. discipulus, cùm præceptorem audiuisset vocantem nuptias secundas honestum adulterium, putauit etiam de primis nuptijs tale quidpiam dici posse, modestius forte quàm Marcion & Saturninus, immodestiùs tamen quàm par esset. Fons erroris illi fuit, quod ἐγκρατεύεσθαι, de quo 1. Cor. VII. 9. putauit actum designare, non donum, idque rarissimum. Cùm ergo passim diceret ἐγκρατευέσθω, εἰ δὲ μὴ, γαμείτω: hinc factum vt ab erroris sui fonte dictus sit Encratita. Aliam certè nuncupationis illius rationem probabiliorem non video. Auidius Cassius persuasus Marcum in Marcomannico bello perijsse, vel proximè periturum esse, animos etiam addente Faustina Marci coniuge, cùm auidius inhiaret imperio, statim expertus est nihil esse medium inter summa & præcipitia. *Capitolinus.*

*Anno Dn.* 173. V. *C.* 926. *M. Aurelij* 13. *Sol.* 14. *D. Lun* 3. *Epact.* 28. *Olymp.* 238. *Cn Claud. Seuero II. M. Aurel. Claudio Pompeiano Coss.*

Episcopus Rom. cui fucum à Praxea factum vult Tertullianus, videtur esse potiùs Eleutherus, quàm Victor, vt putat Baronius.

*Anno Dn.* 174 V. *C.* 927. *M. Aurelij* 14. *Solis* 15. *C Lunæ* 4. *Epact.* 9. *App. Annio Triboniano Gallo & Flacco Coss.*

Marcus cum suis copijs à Marcomannis inclusus siticuloso loco, effugium cùm videret nullum, Christiani, quos habebat in exercitu, pluuiam Romanis, fulmen in hostes impetrarunt, sibi verò iustissimum & honorificum edictum. Quę tamen eâ de re circumferuntur literæ, eæ, si non suppositiriæ, saltem interpolatæ sunt. Vide Euseb. in Chro. & hist. l. 5. c. 5. Tertullianum Apolog. c. 5. Claudianus & Dio Magis, quàm Christianis beneficium hoc acceptum referre maluerunt.

*Anno Dn.* 175. V. *C.* 928. *M. Aurelij* 15. *Solis* 16. *B. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Calpurnio Pisone, M. Saluio Iuliano Coss.*

Prior Pertinacis & Didij Iuliani Consulatus suffectus huic potius anno conuenire, quàm, vt vult Onuphrius, quinto post hunc anno, suadet series rerum à Pertinace gestarum apud Capitolinum.

*Anno Dn.* 176. *V. C.* 929. *M. Aurelij* 16. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Vitrasio Pollione II. M. Fano Apio II. Coss.*

Rebus in Italia compositis, Ægypto, Syriâque lustratâ Græciam petens Marcus in Tauri montis transitu Faustinam vxorem Pij filiam amitit, *Capitolin.* Hoc ipsum Herodi scribit, quondam præceptori suo, optatque vt ἐκείνῳ μυσταγωγοῦντος possit sacris Ceteris initiari, teste Philostrato l. 2. qui cùm id ab Herode factum non scribat, verisimile est Herodem haud multò post Faustinam obijsse, vt qui iam ageret LXXVII. annum.

*Anno Dn.* 177. V. *C.* 930. *M. Aurelij* 17. *Solis* 18. *F. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *Olymp.* 239. *L. Aurelio Commodo Aug. Plautio Quintilio Coss.*

Commodus Consul factus est impetrata legis annariæ veniâ. *Lamprid.* Sed cui titulus Augusti non negabatur, quo iure negatus fuisset Consulatus?



*Anno Dn.* 178. *V. C.* 931. *M. Aurelij* 18. *Solis* 19. *E. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Vettio Rufo, Cornelio Scipione Orphito Coss.*

Marcus in Germaniam cùm redijsset, eò quoque se confert filius Commodus *Lamprid.*

*Anno Dn.* 179. *V. C.* 932. *M. Aurelij* 19. *Solis* 20. *D. Lunę* 9. *Epact.* 4. *L. Aurel. Commodo Aug. II. Aurel. Vero II. vel Vespron. Cand. Coss.*

Commodo collegam dant Candidum Onuphrius, Baronius. Aurelium verò Verum Inscriptio Gruteri p. 77. Sub finem huius anni Romam redit Commodus XI. Kal. Ian. *Lamprid.*

*Anno Dn.* 180. V. *C.* 933. *Commodi* 1. *Solis* 21. *C. B.* L*unæ* 10. *Epact.* 15. *Arrio Præsente II. Ælio Gordiano Coss.*

Senatus Marcum celebrat vt bellicosissimis gentibus deletis atque subactis, omnes omnium glorias supergressum. *Gruterus p.* 260. Perijt is Martij XVII. à medicis in Commodi gratiam interfectus. *Dio.* Paulò post obitum Marci suos ad Autolycum libros tres absoluit Theophilus Antiochenus, neque multo post moritur.

*Anno Dn.* 181. V. *C.* 934. *Commodi* 2. *Solis* 22. A. L*unę* 11. *Epact.* 26. *Olymp.* 240. *Commodo* A*ug.* I*II. Antistio Burrho Cos.*

Antiochiæ Theophilo succedit Maximinus Episcopus. Apollonius in

F ij

Mõtanistas scribit quadragesimo postquam de spiritu prophetico gloriari cœperant anno, neque multo post accusatur in Senatu. Perennis accusatori crura confringit, vt legis à Marco latæ violatori, Apollonium tamen capite mulctat. *Euseb. l. 5. c. 17. & 21. & in Chron.*

---

*Anno Dn.* 182. V. *C.* 935. *Commodi* 3. *Solis* 23. *G. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *Petronio Mamertino, M. Vettio Rufo Coss.*

Perennem, cùm sibi perennem potentiam sponderet, militibus lacerandum tradit Commodus, eiq; substituit Cleandrum & Nigrum præfectos Prætorio. *Lamprid. Capitolin.*

---

*Anno Dn.* 183. V. *C.* 936. *Commodi* 4. *Solis* 24. *F. Lunę* 13. *Epact.* 18. *Commodo* Aug. IV. *M.* A*ufidio Victorino Coss.*

Dum compescendis in Britannia seditionibus animum intendit Pertinax, qui regnauit A.D. 193. rescìscit in Commodum coniurare Antistium Burrhum, qui consulatum gessit A. D. 181. & Arrium Antoninum, idque Commodo detegit, neque multo post à suis militibus propemodum occisus, militum licentiam acerrimè puniјt. *Capitolin.*

---

*Anno Dn.* 184. *V. C.* 937. *Commodi* 5. *Solis* 25. *E. D. Lunę* 14. *Epactæ* 29. *M. Eggio Marullo, M. Papyrio Æliano Coss.*

Commodus omnibus anni mensibus indit noua nomina. *Euseb. Dio.* Pertinaci ex Britannia reuocato alimentorum cura mandatur. *Capitolin.*

---

*Anno Dn.* 185. *V. C.* 938. *Commodi* 6. *Solis* 26. *C. Lunę* 15. *Epact.* 10. *Olymp.* 241. *Triario Materno, M. Attilio Bradua Coss.*

Eleutherus E.R. obit VII. Kal. Iunij, Materno & Bradua Coss. *Damas.* Commodus & Cleander eneruandæ Consulum potentiæ 25. Consules hoc anno creant, neque multò post proteruiæ suæ pœnas luit Clĕander, nuper Romam inter mediastinos seruos aduectus. *Lamprid. Fasti. Dio.*

---

*Anno Dn.* 186. *V. C.* 939. *Commodi* 7 *Solis* 27. B. *Lunę* 16. *Epact.* 21. *Commodo Aug.* V. *M. Ælio Glabrione* II. *Coss.*

Eleuthero succedit Victor Afer E. R. Commodo V. & Glabrione Coss. *Damasus.* Victor abdicauit Theodotum qui Christum dicebat esse ψιλὸν ἄνθρωπον, *Theodoret. l.* 2. *Epiphan. hær.* 54. Id Tertullianus de præscriptionibus sic exprimit. *Doctrinam*, inquit, *introduxit, quâ Christum hominem tantummodo diceret, D um autem illum negaret, ex Spiritu quidem sancto natum ex Virgine, sed hominem solitarium atque nudum, nullâ aliâ præ cæteris nisi solâ iustitiæ authoritate.*

---

*Anno Dn.* 187. *V. C.* 940. *Commodi* 8. *Solis* 28. *A. Lunæ* 17. *Epactæ* 2. *Clodio Crispino, Papyrio Æliano Coss.*

Cùm haud multò post Theodotum exortus sit Artemon hæreticus, & Theodori meminerit Tertullianus sub finem libri de præscriptionibus, hære-

ticorum catalogum recensens, Artemonis non item, videtur suum librum haud multò post Theodotum à Victore damnatum scripsisse, hoc circiter anno.

*Anno Dn.* 188. *V.C.* 941. *Commodi* 9. *Solis* 1. *G.F. Lunæ* 18. *Epact.* 13. *C. Allio Fusciano, Duillio Syllano Coss.*

Ex L. Septimio Seuero, qui regnare cœpit A. D. 193. & Martia, Lugduni L. Septimius Bassianus ( qui regnare cœpit A. D. 211.) nascitur, neque multò post obit Martia.

*Anno Dn.* 189. *V.C.* 942. *Commodi* 10. *Solis* 2. *E. Lunæ* 19. *Epactæ* 24. *Olymp.* 242. *Junio Syllano, Q. Seruilio Syllano Coss.*

L. Septimius Seuerus paulò post amissam Martiam, cùm audisset esse quandam in Syria mulierem id habenten genituræ, vt regi iungeretur, eam vxorem petit. His nuptijs interesse non potuit Faustina Marci coniunx, vt putauit Dio, cùm ea perierit A. D. 176. sed interesse potuit Faustina Marci filia. Apollinaris scribere se profitetur annis post Maximillæ mortem tredecim, quos ait Ecclesiæ fuisse faustos, & constanti pace tranquillos, cùm illa nil nisi continuas persecutiones & bella prædixisset. *Euseb. lib.* 5. *cap.* 15.

Controuersiarum Paschalium, quæ sub Victore contigerunt, Eusebius meminit anno demum vltimo Olympiadis 243. Nos putamus eas excitatas potiùs hoc anno, quo Pascha celebratum est à Iudæis & ab Asiæ minoris Ecclesijs alieno, vt quidem Theophilus Cæsariensis putabat, tempore: à Iudæis quidem, Nisan XV. Martij XX. ab Asiæ verò Christianis Nisan XIV. Martij XIX. feriâ quartâ, triduo ante vernum Æquinoctium. Theophilus autem cùm putaret æquinoctium fieri Martij XXV. adeoque semper eâ die factum, ac eam ob causam Solem eâ die creatum; Christum eâ die resurrexisse, Cœnam autem Dominicam institutam Martij XXII. contendebat à ratione prorsus alienum esse tot diebus anteuertere epocham æquinoctij, & diem quâ putabat institutam Cœnam Dominicam. Quam ob rem Palæstinæ patribus in Synodo congregatis author fuit condendorum aliquot canonum Paschalium. 1. vt nunquam nisi post Martij XXI. 2. vt nunquam nisi post Lunam XIV. 3. vt nunquam post Aprilis XXIV. 4. vt nunquam nisi die Dominicâ Pascha celebraretur, eâ videlicet quæ proximè sequeretur Lunam XIV. incidentem proximè post Martij XXI. Ita sperabat futurum vt nunquam nisi intra Crionis, siue mauis, Arietis mensem Pascha celebraretur. Hæc cùm multis falsis hypothesibus niterentur, nihil mirum, si multis displicuerit hæc pertricosa nouitas, imprimis Asianis & Gallis, qui simpliciùs adhuc agebant quàm Asiani, vt pote Pascha semper celebrantes Martij 25. Episcopo verò Romano Victori tantopere placuerunt errores Theophili, vt conatus sit Asianos à communione remouere. Sed conatus eius frustra fuit, vt pote cui fortiter restiterint non tantum Asiani, sed & Galli Lugdunensis Irenæi calamo. *Beda de natura rerum cap.* 28. & 46. & *de æquinoctio. Euseb. lib.* 5. *cap.* 22. & *in Chronico.* Id tamen tractu temporis tandem obtinuit Roma, vt tam Galli quàm Asiani, relicto

suo more, canones Paschales admitterent, qui conditi sunt ab Orientalibus, imprimis autem à Palæstinis & Alexandrinis. Vbi verò superesse cœperunt pauci dissentientes, tum demum etiam illis parendi necessitatem imposuit Constantinus, secutus sententiam Synodorum duarum, Arelatensis scilicet A. D. 314. & Nicenæ A. D. 325.

---

*Anno Dn.* 190. *V. C.* 943. *Commodi* 11. *Solis* 3 *D. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *Commodo Augusto VI. Petronio Septimiano Coss.*

Suam iaculandi peritiam in theatro multis mirisque modis ostentat Commodus. *Eusebius. Herodianus.* Incidebat in hunc annum agonum à Domitiano institutorum XXVII. Iuda Simeonis, de quo diximus A. D. 123. filius, Rhapsodiam suam inscribit Missnaiot annis 120. post excidium templi, vel, vt alij volunt, 150. *R. Abraham, Ganaz, Zacut.* Inchoasse eam videtur hoc anno, absoluisse triginta demum post annis. Iudæ discipulus fuit Osaias, Osaiæ Iohannes, qui tamen iam hoc anno docere cœpit, & quidem annos 80. Miltiades scribere se profitetur aduersus Maximillam annis 14. post eius obitum. *Euseb. lib.* 5. *cap.* 16.

---

*Anno Dn.* 191. *V. C.* 944. *Commodi* 12. *Solis* 4. *C. Lunæ* 2. *Epact.* 17. *Cassio Aproniano, M. Attilio Bradua Coss.*

Incendium magnam Romæ partem absumit, ac inter cætera Pacis, Apollinis, Vestæ templa. *Euseb. Herodianus.*

---

*Anno Dn.* 192. *V. C.* 945. *Commodi* 13. *Solis* 5. B. A. *Lunæ* 3. *Epactæ* 28. *Commodo Augusto VII. P. Heluio Pertinace III. Coss.*

Commodus de multis iugulandis cogitans, ipse iugulatur vltimo die anni. *Herodianus. Dio.* Clemens vult perijsse Commodum annis 222. post Augustum hoc est post M. Antonij & Cleopatræ mortem.

---

*Anno Dn.* 193. *V. C.* 946. *Seueri* 1. *Solis* 6. *G. Lunæ* 4. *Epact.* 9. *Olymp.* 243 *Q. Sosio Falcone, C. Iulio Erucio Claro Coss.*

Pertinax ter Consul, & sæpè iam à nobis memoratus, Commodi quidem insidijs eripitur, ac diademate donatur, sed funesto, vt quo non totos tres menses potitus sit. Didius Iulianus menses septem imperium tenuit, necem magno emercatus. Seuerus verò regnauit 18. annos, creatus hoc anno III. Kalend. Octobr. frustra renitentibus Albino & Pescennino Nigro. Et Niger quidem hoc quoque perijt anno. Albinum autem inescaturus Seuerus, ei partem imperij offert.

---

*Anno Dn.* 194. *V. C.* 947. *Seueri* 2. *Solis* 7. *F. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Seuero Augusto II. D. Clodio Albino Cæsare II. Coss.*

Clementem & Pantænum hoc anno memorat Eusebius. Et sanè cùm Chronologiam suam non vltra Commodi mortem extendat Clemens, probabile est eum non multò post Commodi mortem scripsisse suos στρωματεῖς.

*Anno Dn.* 195. *V.C.* 948. *Seueri* 3. *Solis* 8. *E. Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Q. Fabio Tertullo, Flauio Clemente Coss.*

*Narcissus Hierosolymorum Episcopus, Theophilus Cæsariensis, Polycrates quoque & Bacchylus Asianæ prouinciæ Episcopi insignes habentur,* inquit Eusebius. Narcissus miraculis & sanctitate præstans, tamen à sycophantis ita vexatus est, vt in deserto diu latuerit, donec tandem veluti casu repertus, Ecclesiæ suæ restitutus est. *Euseb. lib.* 5. *cap.* 21. *& lib.* 6. *cap.* 9. 10.

*Anno Dn.* 196. *V.C.* 949. *Seueri* 4. *Solis* 9. *D.C. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *C. Domitio Dextero II. L. Valerio Messala Prisco Coss.*

Bysantium post triennalem obsidionem expugnatum, solo æquatur à Seueri militibus, cùm ipse factionis Nigrianæ reliquias persequens, Euphratem transgressus Nisibin occuparet. Is filium suum Bassianum nuncupat Antoninum & Cæsarem. *Herodianus. Dio.* Tertullianus pro Christianis apologeticum scribit.

*Anno Dn.* 197. V.*C.* 950. *Seueri* 5. *Solis* 10. *B. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Olymp.* 244. *App. Claud. Laterano, M. Mario Titio Rufino Coss.*

Seuerus extincta Nigri factione, Albinum fraude circumscribit, & armis opprimit. *Herodianus, Dio.* Victor E. R. obit V. Kalend. Augusti. Succedit Zepherinus XV. E. R. *Damasus.* Hunc Zepherinum acriter traducit Tertullianus lib. de pudicitia, quod in eos qui metu sacrificauerant idolis, quàm in scortatores & mœchos esset seuerior, in quo non sine causa quidem, sed sine modo succenset Zepherino cleroque Romano, cuius mores valde corrupti iam tum erant, si Tertulliano credimus. Sed certè non tam vitiorum quàm veritatis odio clerum Romanum Psychicum vocat, tum in libro de pudicitia, tum in lib. de monogamia, quem sic inchoat: *Hæretici nuptias auferunt, Psychici ingerunt.* Nempe videri vult secundas tantum nuptias damnare, re vera pleraque quibus vtitur argumenta, pertinent ad insectationem, tam primarum, quàm secundarum nuptiarum, licet vxorem duxisset ipse, & in suo presbyteratu retinuisset. Sed quas nuptias probare didicerat ab orthodoxis, eas fastidire didicit à Montano, cui plura quàm Apostolis reuelata volebat, quod nondum possent ipsi, certè nondum posset Ecclesia portare iugum ieiuniorum & cœlibatus, quod inuexit Montanus. Sic enim de Monogamia cap. 3. *Cur non potuerit post Apostolos idem Spiritus superueniens* in Montanum, *ad deducendam disciplinam* hactenus nimis solutam *in omnem veritatem, per gradus temporum supremam iam carni fibulam imponere, iam non obliquè à nuptijs auocans, sed exertè, quum magis iam nunc tempus in collecto factum sit, annis circiter CLX. exinde productis,* ab obitu videlicet Tiberij, cuius extremis temporibus in Apostolos effusus est Spiritus sanctus, sed minore, vt quidem impiè sentiebat Tertullian. mensurâ, quàm in Montanum.



*Anno Dn.* 198. *V. C.* 951. *Seueri* 6. *Solis* 11. *A. Lunæ* 9. *Epact.* 4. *T. Alterio Saturnino, C. Annio Gallo Coss.*

Seuerus sæuit in totam Albini parentelam & amicos. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 199. *V. C.* 952. *Seueri* 7. *Solis* 12. *G. Lunæ* 10. *Epact.* 15. *P. Cornelio* Anullino, *M.* Aufi*dio Frontone Coss.*

Seuerus Roma profecturus ad Parthicum bellum, filium maiorem Tribunitiæ potestatis consortem facit, & populum supplicijs exacerbatum, liberalitate demulcet. *Inscriptiones.* Huius liberalitatis occasione miles aliquis Christianus coronamentum in manu tenens, quasi nefas esset id cum reliquis in capite gestare, rogatur cur id faciat, respondet se Christianum esse. Hinc iræ & persecutionis incendium. *Tertullianus de corona militis.*

*Anno Dn.* 200. *V. C.* 953. *Seueri* 8. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 11. *Epact.* 16. *Ti. Claudio Seuero, C. Afidio Victorino Coss.*

Æstate iam exeunte, Seuerus Parthiam ingressus, Ctesiphontem pulso rege peruenit & cepit. Huius victoriæ occasione Geta secundus Seueri filius vix decenni maior Cæsar nuncupatur. Bassiano verò fratri 13. annos nato, datur gloria compositi tumultus cuiusdam à Iudæis & Samaritanis excitati. *Spartianus.*

*Anno Dn.* 201. *V. C.* 954. *Seueri* 9. *Solis* 14. *D. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *Olymp.* 245. *L.* Annio *Fabiano, M. Nænio Mutiano Coss.*

Seuerus eiusque filius Bassianus Romæ triumphum agunt. *Spartianus.* In Scapulam acerrimum persecutorem scribit Tertullianus.

*Anno Dn.* 202. *V. C.* 955. *Seueri* 10. *Solis* 15. *C. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *Seuero Augusto* III. *M. Aurelio Antonino* A*ugusto Coss.*

Leonides martyrio coronatur. Filius eius Origenes XVII. annum agens fuga salutem quærit. *Eusebius in Chronico, & lib. 6. cap.* 3.

*Anno Dn.* 203. *V. C.* 956. *Seueri* 11. *Solis* 16. *B. Lunę* 14. *Epact.* 29. *P. Septimio Geta, L. Septimio Plautiano Coss.*

Tertullianus scribit aduersus Gnosticos scorpiacum & de spectaculis. Plautiani hominis obscuri, sed ex Christianorum proscriptionibus immensum in modum locupletati, filia nubit Bassiano Seueri filio. *Herodianus, Dio.*

*Anno Dn.* 204. *V. C.* 957. *Seueri* 12. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 15. *Epact.* 10. L. *Fabio Chilone Septimino, M. Annio Bibone Coss.*

Cùm Domitianus ludos seculareis ἑκατονταετηρίδας alieno tempore celebrasset, anno V. C. 841. pro eo quod eos celebrare debuerat anno V. C. 847. Seuerus

Seuerus velut in orbitam rediens eos hoc anno celebrat. *Censorin.* Plautianus sciens quàm odiosus esset Bassiano, genero suo, Seueri filio, coniurat in vtrumque deprehensusque pœnas luit. *Herodianus, Dio.*

---

*Anno Dn.* 205. *V. C.* 958. *Seueri* 13. *Solis* 18. *F. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Olymp.* 246. *M. Aurelio Antonino Aug. II. P. Septimio Geta Cæs. Coss.*

Seuerus videns vxorem Iuliam inuidere priuigno, quem filio suo præponi videbat, voluit vt ambo fratres hoc anno simul Consulatum gererent, & vt vxori suæ decernerentur honores quamplurimi. *Gruter. p.* 264. *Fasti.* Sed quę putabat Seuerus futura amoris vincula, fiebant irarum incitamenta.

---

*Anno Dn.* 206. *V. C.* 959. *Seueri* 14. *Solis* 19. *E. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *M. Nummio Annio Ceionio, Albino Fuluio Aimiliano Coss.*

Mammæa, cuius amita erat Iulia Seueri vxor, Genesij Marciani filia cùm Alexandri mortem celebraret in eius templo Dæsij 28. IV. Kal. Iulias, parit filium, qui solennitatis huius occasione dictus est Alexander. Is postea regnauit A. D. 222.

---

*Anno Dn.* 207. *V. C.* 960. *Seueri* 15. *Solis* 20. *D. Lunę* 18. *Epact.* 13. *M. Flauio Apro, Q. Ælio Maximo Coss.*

Tertullianus aduersus Marcionitas scribens l. 1. c. 10: ita loquitur, vt qui scribat decimoquinto Seueri principatus anno. Sed ita Marcionitas impugnat, vt subinde suum Mōtanismum inculcet. *Apud nos*, inquit sub finem lib. 1. *Spiritalis ratio Paracleto auctore vnum in fide matrimonium præscribit.* Iam ante decennium à Montanistis didicerat in nuptias blasphemare.

---

*Anno Dn.* 208. *V. C.* 961. *Seueri* 16. *Solis* 21. *C. B. Lunæ* 19. *Epact.* 24. *M. Aurel. Antonino Aug. III. P. Septimio Geta Cæs. II. Coss.*

Geta tribunitiæ potestatis particeps fit. *Fasti. Inscriptiones.* Montani spiritus eò Tertullianum impulit, vt neque Christiani, neq; presbyteri titulo contentus assumeret τρίβωνα, siue pallium Philosophicum, insigne futurum austerioris vitæ, quâ volebat non tantum inter Christianos, sed etiam inter Montanistas eminere. Nouitatem hāc cùm stuperent aut riderent Afri, scribit apologiam elegantem quidem, sed obscurissimam de pallio, quod hactenus miserè laceratum, à Salmasio viro longè doctissimo fuit ante paucos dies integritati feliciter restitutum.

---

*An. Dn.* 209. *V. C.* 962. *Seueri* 17. *Solis* 22. *A. Lun.* 1. *Epact.* 6. *Olymp.* 247. *M. Aurel. Claud. Pompeiano Arbitronico & Lolliano Auito Coss.*

Seuerus filios suos implacabilibus odijs feruentes videt & frustra gemit, imprimis maiorem & sibi & fratri struentem insidias non semel deprehendit & tolerat. Tanta vis est στοργῆς paternæ! *Dio.*

---

*Anno Dn.* 210. *V. C.* 963. *Seueri* 18. *Solis* 23. *G. Lunæ* 2. *Epact.* 17. *M. Acilio Faustino, C. Cæsonio Macro Rufiniano Coss.*

Seuerus quantumuis sexagenario maior & podagrosus suos filios in Britanniam deficientem ducit, eamq; perdomitam muro ducto separat à Caledonijs. *Herodianus. Dio.*

---

*Anno Dn.* 211. *V. C.* 964. *Bassiani* 1. *Solis* 24. *F. Lunæ* 3. *Epact.* 28. *Q. Epidio Rufo, Pomponio Basso Coss.*

Seuerum ad hunc vsque annum vixisse docet inscriptio Gruteri pagina 1085. Is expertus omnia vitæ genera, totam hanc vitam vanitatis damnauit. Perijt prid. Non. Febr. Succedunt duo filij, nihil paternum habentes præter eius vitia, imprimis verò maior.

---

*Anno Dn.* 212. *V. C.* 965. *Bassiani* 2. *Solis* 25. *E. D. Lunæ* 4. *Epact.* 9. *M. Pompeio Aspero, & Aspero Coss.*

Bassianus patre submoto, non destitit quousque Getam fratrem è medio tolleret, eo maiore prosequens eum odio, quò pluribus eum quàm se charum esse videbat. Getæ mater Iulia filium in sinu suo trucidatum adeò patiẽter tulit, vt videretur occiso grauiùs succensere. Dissimulationem illam efficiebat non tam metus, quàm impudicitia, quâ priuignum suum deperibat, horrendum illud carmen intonans, Si libet, licet. *Herodianus, Dio, Spartianus.*

---

*Anno Dn.* 213. *V. C.* 966. *Bassiani* 3. *Solis* 26. *C. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Olymp.* 248. *Antonino Augusto IV. P. Cælio Balbino Coss.*

Bassianus Galliam & oram Danubij lustrat, militum beneuolentiam sibi concilians similitudine morum, & liberalitate, donato singulis nouo vestis genere, quam Caracallam dixit. Miles verò per assentationem vestem Antoninianam, Bassianum verò Caracallam dixit, aut Caracallum.

---

*Anno Dn.* 214. *V. C.* 967. *Bassiani* 4. *Solis* 27. *B. Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Silio Messala, T. Aquilio Sabino Coss.*

Bassianus Macedoniam lustrans vt Achillis & Alexandri videretur æmulus, eorum statuis compita complebat, viuos iniquis sumptibus onerans, dum mortuos vanis honoribus mactat. *Herodianus, Dio.*

---

*Anno Dn.* 215. *V. C.* 968. *Bassiani* 5. *Solis* 28. *A. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *Aimilio Læto II. Anicio Cereale Coss.*

Saturnalia cum Bassiano celebrasse se profitetur Dio Cassius insignis historicus, sexdecim circiter ante mortem eius mensibus.

---

*Anno Dn.* 216. *V. C.* 969. *Bassiani* 6. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 8. *Epact.* 23. *Q. Aquillio Sabino, Sex. Cornelio Anullino Coss.*

Alexandrini quasi per lasciuiam de Bassiano multa liberiùs effutiuerant: Ille pressit altum corde dolorem, donec Alexandriam magnâ pompâ delatus, horrendam de incautis vltionem sumpsit, totam vrbem promiscuis cædibus ac rapinis exhauriens. *Herodian. Dio.* In Parthiâ quid gesserit, aliter

Herodianus, aliter Dio narrat. Certum tamen est eum etiam illic perfidiâ truculentâ potiùs quàm virtute grassatum.

*Anno Dn. 217. V. C. 970. Macrini 1. Solis 2. E. Lunę 9. Epact. 4. Olymp. 249. Brutio Præsente & Extricato Coss.*

Zepherinus E. R. obit VII. Kalend. Septembr. Sedes vacat dies quinque. Succedit Callistus. *Damasus.* Electus est igitur Callistus pridie Kalend. Sept. feriâ primâ. Maternianus sciens quàm magis addictus esset Bassianus, Româ scribit se monitum à magis vt à Macrino sibi caueat. Cùm is esset præfectus Prætorio, in manus eius inciderunt literæ. Ausus eas aperire, comperit sibi necessariò pereundum, vel Bassiano. Nihil cunctatus, Bassianum iugulandum curat, & imperium sibi vendicat VI. Idus Aprilis. Pacem ab Artabano Parthorum rege turpiter emercatur. *Herodianus. Dio.*

*Anno Dn. 218. V. C. 971. Heliogabali 1. Solis 3. D. Lunę 10. Epactæ 15. M. Opelio Antonino Diadumeniano & Aduento Coss.*

Iulia Seueri vidua sororem Mæsam eiusq; filias Soæmidem & Mammęam, quin & Soæmidis filium Lupum, & Māmææ filium Alexandrum educauerat regio luxu. Lupus ille natus in templo cuiusdam Syriæ idoli nomine Alagabali vel Heliogabali, quasi Gabalitarum Deum dicas, idoli sui nomen præferebat. Non deerant qui dicerent eum esse Bassiani spurium, vt eum militibus tantò gratiorem redderent. Hūc Prætoriani milites Imperatorem salutant Maij 11. facilèque persuadent milites Antiochenos vt Macrinum, tam sæuum quàm ignobilem occidant. Igitur profligatus VIII. Idus Iunias, non multò post occisus est cum filio suo Diadumeniano. Heliogabalus, vt Bassiani filius crederetur, eius elogia sibi assumpsit. *Herodianus. Dio. Fasti.*

*Anno Dn. 219. V. C. 972. Heliogabali 2. Solis 4. C. Lunæ 11. Epactæ 26. M. Aurelio Antonino Augusto II. Licinio Sacerdote Coss.*

Heliogabalus, vix quatuordecim annos natus, hybernis Nicomediæ actis Romam venit. Is Deum suum circumferens ac reliquis omnibus præferens & Cælesti Carthaginensium deæ matrimonio copulans, Eponam etiam nescio quam deam obtrudens, nihil reliqui fecit ad summam proteruiam. *Herodianus. Dio. Gruterus pag. 87.*

*Anno Dn. 220. V. C. 973. Heliogabali 3. Solis 5. B. A. Lun. 12. Epact. 7. Anton. Aug. III. M. Aurel. Eutychiano Comazonte II. vel III. Coss.*

R. Iudæ, de quo diximus A. D. 190. defuncto succedit filius Gamaliel III. Fuit hic Iuda Tannæorum nouissimus, qui steterant annos 145. Gamaliel III. Amoræorum vel Emuræorum primus. *Abrahami Cabbala. Germen Danidis.*

*Anno Dn. 221. V. C. 974. Heliogabali 5. Solis 6. G. Lunæ 13. Epact. 18. Olymp. 250. Seliniano Grato, Claudio Seleuco Coss.*

Nihil rectiùs fecit Heliogabalus,

quàm quod auiæ Mæsæ monitu consobrinum suum Alexandrum Mammææ filium adoptauit, vix biennio se iuniorem: mox pœnituit, ac beneficium reuocare voluit, sed frustra fuit. *Herodianus. Dio.*

*Anno Dn.* 222. V. *C.* 975. *Alexandri* 1. *Solis* 7. *F. Lunæ* 14. *Epacta* 29. *Antonino Augusto IV. M. Aurelio Alexandro Augusto I. Coss.*

Roma principis sui monstra diutiùs ferre pertæsa tumultuatur. In cloacam ille se proripit: inde eductus, vt erat stercoreus, per vrbem raptatur ac in Tiberim abijcitur, nactus exitum vita sua dignum. Succedit Alexander consobrinus quidem, sed planè dissimilis. *Herod. Dio. Lamp.* Hippolyti Portuensis canonem Scaliger inseruit suo de temporum emendatione thesauro. Is canon est annorum sedecim, ac sic incipit: *Anno primo regni Alexandri XIV. Luna Paschalis fuit Idibus Aprilis, Sabbatho, cùm mensis intercalatus fuisset.* Callistus E. R. martyrio coronatur prid. Id. Octobris. Vacat sedes dies sex. Succedit Vrbanus XVII. E. R. *Damasus.* Ita creatus est Vrbanus Octobr. 20. feriâ prima.

*Anno Dn.* 223. V. *C.* 976. *Alexandri* 2. *Solis* 8. *E. Lunæ* 15. *Epacta* 10. *Maximo II. Papirio Æliano Coss.*

Mammæa religionis Christianæ documentis ab Origene pridem imbuta, postea didicit à Gnosticis 1. palam negare quod domi fatebatur. 2. Christi statuas colere vel habere. Eodem modo filium suum Alexandrum instituit, qui *templum Christo facere voluit, sed prohibitus est,* inquit Lampridius: hoc est, fecisset, si potuisset id cum bona S. P. Q. R. venia facere.

*Anno Dn.* 224. V. *C.* 977. *Alexandri* 3. *Solis* 9. *D. C. Lunæ* 16. *Epact.* 21. *Claudio Iuliano, Clodio Crispino Coss.*

Herodianus Alexandrum, vt ignauum, matrem eius Mammæam vt impiam traducit: sed videtur id facere, religionis Christianæ, cui fauebant, odio: cùm Lampridius tot nominibus Alexandrum commendet ob frugalitatem, liberalitatem, integritatem, seueritatem, adeoque fortitudinem.

*Anno Dn.* 225. V. *C.* 978. *Alexandri* 4. *Solis* 10. *B. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *Olymp.* 251. *L. Turpilio Dextero, M. Mæcio Rufo Coss.*

Quantumuis imperio Romano probrosa fuerit pax quam Macrinus pretio redemit A. D. 217. ab Artabano Parthorum rege, Parthis tamen displicebat, vt qui censerent Bassiani perfidiam longè seueriore pœna fuisse dignam. Hinc contemptus & odium, cuius exitus is fuit, vt Artaxares, an Artaxerxes Persas ad recuperandum pristinum decus cohortatus, Parthis & Artabano ereptum regnum ad Persas & ad se transtulerit, *quarto* huius *Alexandri anno,* 538. *ab Alexandro magno,* inquit Agathias lib. 2. & 4. hoc est Seleucidarum 538. Nec eo contentus, legatos ad Alexandrum mittit repetituros ea quæ Persis eripuerant Romani, cùm tres aut quatuor annos pace potitus esset Alexander Herodiano teste.

*Anno Dn.* 226. *V. C.* 979. *Alexandri* 5. *Solis* 11. A *Lunæ* 18. *Epactę* 13. *M. Aurel. Alexand. August.* *II. C. Quintilio Marcello Coss.*

Alexander Artaxerxe profligato recuperat ea quæ raptauerat Artaxerxes, ac finibus imperij communitis, Antiochiam victor reuertitur. *Lamprid.*

*Anno Dn.* 227. *V. C.* 980. *Alexandri* 6. *Solis* 12. G. *Lunæ* 19. *Epact.* 24. *D. Cælio Balbino II. M. Clodio Pupieno Coss.*

Beryllus Botsræ (Hebr. בצרא) in Arabia Episcopus, cùm putaret Christum antequam ex B. Virgine nasceretur, non substitisse, ab Origene reuocatur ad sanitatem. *Euseb. in Chron. & lib. 6. cap. 26. vel* 33.

*Anno Dn.* 228. *V. C.* 981. *Alexandri* 7. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 1. *Epact.* 6. *Vettio Modesto & Probo Coss.*

Non procul ab Actio, Nicopoli reperitur in dolio Græca quędam veteris Testamenti versio, quam Origenes sextam vocat. *Epiphanius.*

*Anno Dn.* 229. *V. C.* 982. *Alexandri* 8. *Solis* 14. *D. Lunæ* 2. *Epactę* 17. *Olymp.* 252. *Alexand. Aug. II. Cassio Dione II. Coss.*

Hic Dio celebris est ille historicus, quem passim hîc citauimus. Alexander quadriennium post Persas deuictos Antiochię commoratus, audito Germanico tumultu Romam venit, quid egerit, explicat in Senatu VII. Kaléd. Octobr. de Persis denique triumphat. *Lamprid.*

*Anno Dn.* 230. V. *C.* 983. *Alexandri* 9. *Solis* 15. *C.* Lunę 3. *Epactæ* 28. *Calpurnio Agricola & Clementino Coss.*

Vrbanus Romæ præfectus Cæciliam & aliquot alios Christianos vltimo supplicio afficit, si modo credimus Actis quæ refert Baronius ad A. D. 232. Captauit forsan Vrbanus occasionem ex Alexandri, qui Romę diu moratus non est, absentiâ.

*Anno Dn.* 231. *V. C.* 984. *Alexandri* 10. *Solis* 16. *B. Lunæ* 4. *Epact.* 9. *M. Aurelio Pompeiano, Feliciano Coss.*

Vrbanus E. R. obit VIII. Kalendas Iun. Cessat Episcopatus dies triginta. Succedit XVIII. E. R. Pontianus. *Damasus.* Ita Pontianus electus est VIII. Kalend. Iulij, feriâ VI. Origenes molestiarum, quas ab Alexandrino præsule Demetrio patiebatur, tædio, Cæsaream petit Alexandriâ relictâ. *Eusebius lib. 6. cap.* 23. *vel* 30. Scholam catecheticam regebat Origenes. Ei Demetrius Heraclam substituit, neque multo post moritur.

*Anno Dn.* 232. V. *C.* 985. *Alexandri* 11. *Solis* 17. A. *G. Lunæ* 5. *Epact.* 20. *Julio Lupo & Maximo Coss.*

Demetrius Alexandrinam Ecclesiam 43. annos moderatus obit. Succedit Heraclas. *Eusebius lib. 6. cap.* 20. Heraclas scholæ catecheticæ præfue-

rat post Origenem. Tum verò sibi Dionysium substituit.

---

*Anno Dn.* 233. V. *C.* 986. *Alexandri* 12. *Solis* 18. *G. F.* *Lunæ* 6. *Epact.* 1. *Olymp.* 253. *Maximo II. Ouinio Paterno Coss.*

Plotinus 27. annos natus, Ammonium, cuius extat in Euangelistas harmonia, Alexandrinum vndecim annos audit, vt vt Ethnicus. *Porphyrius. Suidas.*

---

*Anno Dn.* 234. *V. C.* 987. *Alexandri* 13. *Solis* 19. *E. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *Maximo & Vrbano Coss.*

Quod Lampridius Alexandrum occisum refert in Britannia, vel in Gallia, videtur hinc natum, quod consilium in Britannia captum, & quidem hoc, vt videtur, anno, proximè sequente peractum est in Gallia.

---

*Anno Dn.* 235. V. *C.* 988. *Maximini* 1. *Solis* 20. *D. Lunæ* 8. *Epactæ* 23. *L. Catilio Seuero, L. Ragonio Quintiano Coss.*

Alexander à militibus seueritatem eius detrectantibus occiditur in Galliis prope Moguntiacum, IV. Non. Octobres, impulsu Maximini Thracis, qui sedem eius inuasit. *Lampridius.* Pontianus E. R. in insulam Sardiniam relegatus, inibi moritur XIII. Kalendas Decembris. Succedit Antherus XIX. E. R. *Damasus.*

---

*Anno Dn.* 236. *V. C.* 989. *Maximini* 2. *Solis* 21. *C. B. Lunę* 9. *Epact.* 4. *C. Iulio Maximino Augusto, C. Iulio Africano Coss.*

Antherus E. R. martyrio coronatur III. Non. Ianuarias, quod gesta martyrum diligenter à notariis excepta reconderet in Ecclesia. Cessat Episcopatus dies 13. Succedit Fabianus XX. E. R. *Damasus.* Fabianus igitur ordinatus est Ianuarij 17. feria 1. Maximinus coniurationibus aliquot oppressis Germanis profligatis, in Pannoniam se confert, hyemem acturus Sirmij. *Herodianus.*





# ECCLESIÆ CHRISTIANÆ CENTVRIA TERTIA.

*Anno Domini* 237. *Urbis conditæ* 990. *Maximini* 3. *Solis* 22. *A. Lunæ* 10. *Epact.* 15. *Olympiad.* 254. *P. Titio Perpetuo, L. Ouinio Rustico Coss.*

MAximinus eiusq; filius vias & põtes vetustate collapsos instaurant. *Gruterus pag.* 151. At dum rapinis & cædibus in omnes Thracicâ truculentiâ grassatur, Gordianus in Africâ cogitur imperium capessere iam octogenarius, cum filio 46. annos nato. Sed paulò post ambo trucidãtur studio Capelliani, vix 36. dies imperio potiti. Nihilominus in Maximinum noui duces eliguntur, Maximus, Pupienus & Gordianus III. primi ex filia nepos 13. annos natus.

*Anno Dn.* 238. *V.C.* 991. *Gordiani* 1. *Solis* 23. *G. Lunæ* 11. *Epactæ* 26. *M. Ulpio Crinito, Proculo Pontiano Coss.*

Maximinus Aquileiam obsidens obtruncatur. Maximus & Pupienus à Prętorianis iugulantur. Imperium nihilominus Gordiano puero relinquitur. *Indicium*, inquit Capitolinus, *non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, quod eclipsis Solis facta est, vt nox crederetur.* Hanc eclipsim Mulerius confert in Aprilis 2. feria 2. & meritò. Nam proximè præcedens eclipsis Solis à Romanis videri non potuit. Censorinus scribit suum de die natali librum, eumque vocat ab Olympiade primâ 1014. ab vrbis Romæ conditu 991. Iulij Cæsaris 283. Nabonazari 986. ab Alexandri morte 562.

*Anno Dn.* 239. *V.C.* 992. *Gordiani* 2. *Solis* 24. *F. Lunæ* 12. *Epactæ* 7. *M. Antonio Gordiano Aug. M. Acilio Auiola Coss.*

Auiolæ Cos. suffectum Ingenuinum docet inscriptio Gruteri pag. 272.

*Anno Dn.* 240. *V.C.* 993. *Gordiani* 3. *Solis* 25. *E. D. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *Vettio Sabino II. & Venusto Coss.*

Sabinianus aduersus Gordianum coniurans opprimitur. *Capitolin.* Artaxerxi Persarum primo Regi succedit Sapores annos 30. *Agathias.*

*Ann. Dn.* 241. *V.C.* 994. *Gordiani* 4. *Solis* 26. *C. Lun.* 14. *Epact.* 29. *Olymp.* 255. *Gord. Aug. II. M. Aurelio Pompeiano vel Papiniano Coss.*

Sapores Romanum imperium peruastat Antiochiam vsque. *Capitolin.*

---

*Anno Dn.* 242. V. *C.* 995. *Gordiani* 5. *Solis* 27. B. *Lunæ* 15. *Epactæ* 10. *C. Aufidio Attico, C. Asinio Prætextato Coss.*

Videtur Sapores ad imperij Persici consortium Artaxerxem II. vocasse, vt apud Victorem de Gordiano loquentem legatur, *Frequentibus prælijs pugnauit, vicit, Sapore Persarum rege submoto, & post Artaxerxe, Antiochiam venit*, vt, inquam, dicatur Gordianus & Saporem & Artaxerxem II. vicisse.

---

*Anno Dn.* 243. V. *C.* 996. *Gordiani* 6. *Solis* 28. A. *Lunæ* 16. *Epact.* 21. *C. Julio Arriano, Aimilio Papo Coss.*

Misitheus Præfectus Prætorio medicorum & Philippi fraude profluuio ventris exanimatur. Huic substitutus à Gordiano Philippus Arabs, statim in Gordianum coniurat. *Capitolin.*

---

*Anno Dn.* 244. *V. C.* 997. *Philippi* 1. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 17. *Epact.* 2. *Peregrino & Fuluio Aimiliano Coss.*

Philippus à militibus Gordiani collega factus, mox Gordianum obtruncat: & nihilominus inter Deos referendum curat, ac ipse Deum semper vocat. *Capitolinus.* adeo suos ipsimet Ethnici deos habebant ludibrio. Tanti quippe veteres, quanti nouos istos deos faciebant.

---

*Anno Dn.* 245. *V. C* 998. *Philippi* 2. *Solis* 2. *E. Lunę* 18. *Epact.* 13. *Olymp.* 256. *M. Iulio Philippo Augusto, T. Fabio Titiano Coss.*

Plotinus quadragenarius sub Philippo Romam venit. *Porphyrius.*

---

*Anno Dn.* 246. *V. C.* 999. *Philippi* 3. *Solis* 3. *D. Lunę* 19. *Epact.* 24. *Brutio Præsente, Nummio Albino Coss.*

Heraclas Alexandrinus Episcopus obit, eique succedit Dionysius annos 18. Origenes sexagenarius permittit vt excipiantur à notarijs, quæ dicebat ex tempore. *Eusebius in chron. & lib. 6. cap. 28. vel 35.*

---

*Anno Dn.* 247. *V. C.* 1000. *Philippi* 4. *Solis* 4. *C. Lunę* 1. *Epact.* 6. *Philippo Augusto II. M. Iulio Philippo Cæsare Coss.*

Millesimus à Romæ conditu annus magnâ pompâ celebratur ab Aprilis XXI. huius anni, ad anni sequentis Aprilis XXI. Huius solennitatis occasione Martyrologia volunt à Pontio conuersos ad Christi fidem Philippum, eiusque filium, eosdem à Fabiano E.R. baptizatos, adeoque post ἐξομολόγησιν ad Eucharistiæ communionem admissos. Horum si quidquam verum esset, passusne fuisset Senatus, Christianis tam infensus, Philippum inter deos recenseri? An non saltem hoc illi criminis instar obiecisset Decius?

*Anno*

*Anno Dn.* 248. *V. C.* 1001. *Philippi* 5. *Solis* 5. *B. A. Luna* 2. *Epacta* 17. *Philippo Augusto II. & Philippo Cæsare Coss.*

Donatus Episcopus Carthaginensis obit, eiq; succedit Cyprianus omnium consensu, præter vnum Felicissimum. *Vita Cypriani.*

*Anno Dn.* 249. *V. C.* 1002. *Decij* 1. *Solis* 6. *G. Luna* 3. *Epact.* 28. *Olymp.* 257. *Fuluio Aimiliano, Vestio Aquilino Coss.*

Vtrumque Philippum Decius Illyrici legatus occidit Veronæ circa mensem Augustum, eâdemque, quâ Bassianus, & Philippus ratione, patitur eos, quos occiderat, inter deos referri, vt probos videl. ac pios deorum cultores, licet inutiles imperio. Cōtinuò post acrem inChristianos persecutionem excitat, cuius causam Cyprianus Serm. 5. de lapsis adscribit morum corruptelæ, quam lóga pax inuexerat. Ea martyres multos fecit, sed & defectores multos, ac multis schismatis ianuam aperuit.

*Anno Dn.* 250. *V. C.* 1003. *Decij* 2. *Solis* 7. *F. Luna* 4. *Epact.* 9. *Decio Augusto II. Annio Grato Maximo Coss.*

Fabianus E. R. martyrio coronatur XIV. Kalend. Februar. Paulóque post in carcerem mittuntur Nicostratus Diaconus, Moses & Maximus Presbyteri, ex quibus Moses vndecimo demum post mense defunctus est in carcere. *Damasus.* Cyprianus in exilium missus, clerum Romanum Episcopo suo orbatum consolatur. *Epistola* 4.

*Anno Dn.* 251. *V. C.* 1004. *Decij* 3. *Solis* 8. *E. Lunę* 5. *Epact.* 20. *Messio Quinto Traiano Decio Aug. III. Q. Herennio Decio Cęsare Coss.*

Dum Ethnici Cypriani patrimonium proscribunt, etiam Episcopatum ei conatur eripere Felicissimus. Is vicissim excommunicatur à Cypriano, epist. 38. 59. Romæ post vnius anni vacationem eligitur Cornelius E. R. cuius electio cùm quibusdam displiceret, Nouatus aduersus eum ordinat Nouatianum. *Damasus.* Idem Nouatus etiam in Africa Felicissimum ordinarat. *Cypr. epist.* 49. Hæ turbæ fecerunt vt etiam inter Cornelium & Cyprianum esset nonnunquam aliqua dissensio. Ambo Decij cum barbaris in Mœsia pugnantes miserè pereunt sub anni finem. Cōfestim à militibus imperium defertur in Gallum, eiusque filium Volusianum. Decij mortem continuò secuta pax Ecclesiæ, cuius occasione de lapsis Ecclesiæ reconciliandis librum scribit Cyprianus.

*Anno Dn.* 252. *V. C.* 1005. *Galli* 1. *Solis* 9. *D. C. Luna* 6. *Epact.* 1. *C. Vibio Treboniano Gallo Aug. II. C. Vibio Volusiano Augusto I. Coss.*

Cùm Cornelius Felicissimo faueret aduersus Cyprianum, ac vellet de hac causa cognoscere, Cornelium acriter increpat Cyprianus, ac pernegat cuiquam transmarino ius esse de causis Africanis cognoscendi. *Lib.* 1. *epist.* 3. & *lib.* 2. *epist.* 10. 11. Paulò post Cornelius martyrium facit XVIII. Kalend. Octobris. Succedit illi Lucius E. R. neque

multo post in exilium mittitur. *Damasus.* Interim videmus ambitionis ingenium, de mitris etiam inter ipsa martyria meditantis.

---

*Anno Dn.* 253. *V. C.* 1006. *Gallieni* 1. *Solis* 10. *B. Lunæ* 7. *Epact.* 12. *Olymp.* 258. *Volusiano Augusto II. M. Valerio Maximo Coss.*

Aduersus Gallum creatur Aimilianus, aduersus Aimilianum Valerianus eiusque filius Gallienus. Occiduntur Gallus Interamnæ cum filio, Aimilianus iuxta Spoletum, cùm vix tres menses imperasset. *Eusebius. Victor.* Valerianus nobilis, at hebes, videtur initio fuisse mitissimus, sed Magis addictus cùm esset, ab ijs corruptus euasit sæuus ac Christianis infensissimus. Dum mansuetus erat, Lucius ab exilio reuocatus est, eique gratulatur hoc nomine Cyprianus epist. 58.

---

*Anno Dn.* 254. *V. C.* 1007. *Gallieni* 2. *Solis* 11. A. *Lunæ* 8. *Epact.* 23. *P. Licinio Valeriano August. II. P. Licinio Gallieno Augusto Coss.*

Lucius E. R. capite truncatur IV. Non. Mart. Cessat Episcopatus dies 35. Succedit Stephanus I. *Damasus.* Ita Stephanus electus est Aprilis 9. feria 1.

---

*Anno Dn.* 255. *V. C.* 1008. *Gallieni* 3. *Solis* 12. *G. Lunę* 9. *Epact.* 4. *Valeriano Augusto III. Gallieno Augusto II. Coss.*

Basilides in Hispania damnatus, apud Stephanum E. R. queritur. Is intercedit apud Hispanos pro Basilide. Hispani suum ius tuentur aduersus Stephanum, ac illius vsurpationes damnant apud Africanos. Hispanorum ius propugnant & sententiam confirmant Africani. *Cyprian. epist.* 68. Africam Italiæ committit noua quæstio. A quouis hæretico baptisatum rebaptisandum censebant Africani: Itali à nullo. Errabant vtrique; sed Itali grauiùs, quod hæreseon plerarumque tum is erat genius, vt vix vlla crederet Trinitatem, eoque vix vlla baptisaret in nomine Trinitatis. Africani prætere a tolerabant eos quos videbant à se dissentire: Eandem moderationem non adhibebant Itali: quam ob causam non ab Africanis solis, sed à plerisque prouincijs Romanæ sedis audacia seriò compressa est. *Cyprianus epist.* 70. 73. 74. 75.

---

*Anno Dn.* 256. *V. C.* 1009. *Gallieni* 4. *Solis* 13. *F. E. Lunę* 10. *Epact.* 15. *M. Valerio Maximo II. M. Acilio Glabrione Coss.*

Origenes Adamantius septuagenarius obit, ingenij mirabilis, austerissimæ vitæ, laboris indefessi, eruditionis stupendæ, sed impuræ doctrinæ. Vnum eius περὶ ἀρχῶν opus, quàm multis scateat erroribus, adeoque portentis, copiosè demonstrat Hieronymus ad Auitum, Pammachiumq; scribens tom. 3. epist. 15. 16. & Epiphanius ad Iohannem Hierosolymitanum Episcopum, Origeni nimis addictum, A. D. 389. & 392.

---

*Anno Dn.* 257. V. *C.* 1010. *Gallieni* 5. *Solis* 14. *D. Lunæ* 11 *Epact.* 26. *Olymp.* 259. *Valeriano Augusto IV. Gallieno Augusto III. Coss.*

Stephanus E. R. iussu Valeriani decollatur IV. Non. Augusti. Succedit Sixtus IX. Kalend. Septemb. *Damasus.*

Ad hunc Sixtum, Xystumue scribens Dionysius Alexandrinus, testatur aliquos, qui Stephano fauerant, ab eius sententiâ recessisse. *Euseb. lib. 7. cap. 4.* Hieronymus vicissim aduersus Luciferianos scribens, vult quosdam (sed ita tamen vt ne vnum quidem nominet) qui priùs ab E.R. Stephano dissenserãt, postea pedibus in eius sententiam iuisse. Sed id videtur intelligẽdum de prouincijs, quæ tractu longo temporis aliquid de pristino rigore remiserunt, non de Cypriano, vel quopiam alio temporis illius Episcopo, cùm nec Hieronymus, nec quisquam, quod sciam, alius vel vnum nominet, qui cùm primò Stephani sententiam damnarit, postea palinodiam cecinerit, adeò paucis tum erat terrori cleri Rom. potẽtia! Vt vt sit, Cyprianus hoc anno rursus in exilium pellitur III. Kalend. Septemb. *Vita Cypriani.*

---

*Anno Dn.* 258. V. *C.* 1011. *Gallieni* 6. *Solis* 15. *C. Lunæ* 12. *Epact.* 7. *M. Aurelio Memmio Fusco, Pomponio Basso Coss.*

Aurelianus rebus in Thraciâ præclarè gestis, Gothis non vno prælio profligatis, à Valeriano prolixè laudatur, & Consul designatur. *Vopiscus.* Fasti tamen anno sequente non præferunt Aurelianum Coss. Itaque videndum, an Valeriani verba de Consulatu suffecto possint intelligi. Sixtus à Valeriano dæmonijs sacrificare iussus ac renuens, capite trũcatur cum sex diaconis VIII. Id. Augusti. Laurentius Romæ diaconus flammis vstulatur. *Damasus.*



---

*Anno Dn.* 259. V. *C.* 1012. *Gallieni* 7. *Solis* 16. *B. Lunæ* 13. *Epact.* 18. *Fuluio Aimiliano, Pomponio Basso Coss.*

Dionysius eligitur E. R. XI. Kalendas Augusti. *Damasus.* Ea dies incidit in feriam sextam. Tarracone Fructuosus Episcopus, Augurius & Eulogius diaconi comprehenduntur XVI. Kalend. Februar. feriâ prima. Ducuntur ad supplicium XII. Kalend. Februar. feriâ sexta. *Surius Ian.* 21. Baronius hęc perperam refert ad A. D. 262. Valerianus suæ in Christianos sæuitiæ pœnas luit, captus & instar mancipij maletractatus à Sapore Persarum rege. Posthumus imperium inuadit in Gallia. *Pollio.*

---

*Anno Dn.* 260. V. *C.* 1013. *Gallieni* 7. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 14. *Epact.* 29. *Cornelio Sæculare II. Junio Donato Coss.*

Gallienus persecutionem à Valeriano patre excitatam extinguit, & iubet restitui Christianis erepta loca publica, quæ modo θρησκευσίμους τόπους, modo κοιμητήρια vocat. *Euseb. lib. 7. cap.* 13. Et certè tum vix vllos alios habebant θρησκευσίμους τόπους præter cœmiteria.

---

*Anno Dn.* 261. *V. C.* 1014. *Gallieni* 9. *Solis* 18. *F. Lunæ* 15. *Epact.* 10. *Olymp.* 260. *P. Licinio Gallieno August. Petronio Volusiano Coss.*

In Gallienum insurgunt Macrianus, Valens in Achaïa, Aureolus in Illyrico. Profligatur Macrianus ab Aureolo. *Pollio.* Macriani clade audita, Dionysius Alexandrinus Gallieno gratulatur. Eu-

*seb.l.7.c.25.* gratulatur, inquam, aliquantò plus quàm par sit. Nam nec erat victoria tanta, quantam putabat Dionysius: nec erant ij Gallieni mores, quos putabat Dionysius.

---

*Anno Dn.* 262. *V.C.* 1015. *Gallieni* 10. *Solis* 19. *E Lunæ* 16. *Epacta* 21. *Gallieno Augusto V.* Appio *Pompeio Faustino Coss.*

Romanas prouincias miserum in modum fœdant varij terræ motus, Scytharum, Gothorum, aliorumque barbarorum incursiones variæ, & pestis atrox, in quâ cùm Ethnici suos quisq; desererent, Christiani contra tam in Ethnicos, quàm in suos omnia singularis humanitatis exhibebant officia, imprimis Alexandriæ, cuius Episcopus Dionysius edidit etiam insignia pietatis ac constantiæ suæ documenta. *Pollio lib.7.cap.21. Orosius lib.7.cap.22.* Contra, quum multi non tantùm defecissent, sed & grassati fuissent cum barbaris in populares fratresque suos: hinc Gregorius ὁ θαυματουργὸς dictus cœpit occasionem condendi nouos canones pœnitentiales, & varias in sacris synaxibus distributiones pœnitentium, quia videlicet tum sacras ædes extruere incipiebant Christiani, permittente Gallieno.

---

*Anno Dn.* 263. V. *C.* 1016. *Gallieni* 11. *Solis* 20. *D. Lunæ* 17. *Epacta* 2. *Nummio Ceionio Albino II. Maximo Dextero Coss.*

Hactenus millenariorum error à Papia propagatus quàm plurimos patres suffragatores habuerat. Hunc dum impugnat Dionysius Alexandrinus, Iohannis Apocalypsim non obscurè traducit, quasi nec Iohannis esset, nec θεόπνευστος. Sic aduersus Sabellium ita personarum distinctionem propugnat, vt tres essentias facere videatur. Vt autem ad Cyprianum multi confugerant, sic tum ad Dionysium E. R. quidam confugerunt, vt illius auctoritate Dionysius Alexandrinus ad sanitatem reuocaretur, quod & impetrauit. *Euseb. lib. 7. cap. 23. & 24.*

---

*Anno Dn.* 264. V. *C.* 1017. *Gallieni* 12. *Solis* 21. *C. B. Lunę* 18. *Epact.* 13. *Gallieno Augusto VI. Aimilio Saturnino Coss.*

Aduersus Persas Romanum imperium incursantes missus Odenatus, à militibus Imperator salutatur cum vxore Zenobia. *Pollio.* Paulus Samosatenus Episcopus Christum esse merum hominem docens, apud Synodum accusatur, ad quam inuitatus Dionysius Alexandrinus, excusat se propter senium, erroremq; Pauli damnat, neque multò post obit. Eundem errorem damnat etiam Synodus Antiochena. *Euseb. lib. 7. cap. 28.*

---

*Anno Dn.* 265. *V. C.* 1018. *Gallieni* 13. *Solis* 22. *A. Lunæ* 19. *Epactę* 24. *Olymp.* 261. *P. Licinio Valer. Cæs. II.* L. *Cæson. Rufin. Coss.*

Hic Valerianus erat Gallieni frater, ab ipso vocatus ad Cæsareæ dignitatis consortium.



*Anno Dn. 266. V. C. 1019. Gallieni 14. Solis 23. G. Lunę 1. Epact. 7. Gallieno Augusto VII. & Sabinillo Coss.*

Posthumus cùm septem annos in Gallia tenuisset imperium, occiditur, eique substituitur Lollianus, dein Marius, quibus breui tempore sublatis, eligitur Tetricus eiusque filius, procurante Victorina. *Pollio.*

*Anno Dn. 267. V. C. 1020. Gallieni 15. Solis 24. F. Lunę 2. Epact. 18. Ouinio Paterno & Arcesilao Coss.*

In Odenatum, siue Zenobiæ coniugis fraude, siue proprio scelere insurgit Męonius, eumque cum Herode filio, quem Cæsarem fecerat, occidit, mox ipse iugulatur. Zenobia se quidem Imperatricem, filios verò suos Herennianum ac Timolaum Cæsares facit, & Heraclianum aduersus se missum à Gallieno, solertem alioquin virum, profligat. *Pollio.*

*Anno Dn. 268. V. C. 1021. Claudij 1. Solis 25. E. D. Lunæ 3. Epact. 29. Ouinio Paterno II. & Mariniano Coss.*

Sub Gallieno cùm exorti fuissent circiter triginta tyranni, plerique mutuis gladijs perierant. Supererant viri duo, Tetricus & Aureolus: fœminæ totidem, Zenobia & Victorina. Occiso tamen cum liberis Gallieno XII. Kal. Aprilis, imperium inuasit Claudius. Barbarorum tanta copia Romanum imperium infestauit, vt Claudius à se deleta scribat Gothorum CCCXXX. millia, nauium submersa duo millia. *Pollio.*

*Anno Dn. 269. V. C. 1022. Claudij 2. Solis 26. C. Lunę 4. Epact. 10. Olymp. 262. M. Aurelio Claudio Augusto, Ouinio Paterno Coss.*

Dionysius E. R. obit VI. Kalend. Ianuar. Episcopatus cessat dies quinque. Succedit Felix. *Damasus.* Ita Felix electus est Decembris vltimo, feriâ sextâ. R. Iohannes absoluit Talmud Hierosolymitanum ducentesimo post templi subuersionem anno, neque multo post moritur, cùm annos octoginta docuisset. *Abrahami Cabbala.*

*Anno Dn. 270. V. C. 1023. Aureliani 1. Solis 27. B. Lunæ 5. Epactę 21. Fl. Antiochiano vel Atticiano, Furio Orphito Coss.*

Gothi montium angustijs circumclusi, Claudio se dedunt, mox ad ingenium redeunt, & Romanorum duo millia trucidant. Claudius vicissim in eos irruens, magnam stragem edit, neque multo post obit. Huic substitutus frater Quintillus XVII. post die iugulatur, cùm iam ab alijs exercitibus electus esset Aurelianus. *Pollio. Vopiscus.* Plotinus Platonicus tam verum Deum quàm falsos ridere solitus, iusto Dei iudicio fœdo cruciabilique morbo perit, quantumuis amœnum esset ac salubre domicilium quod sibi delegerat in Campania. *Porphyrius. Julius Firmic. l. 1.* Hormisda tertius Persarum rex regnat annum vnum. *Agathias.*

* *
*

*Anno Dn.* 271. V. *C.* 1024. *Aureliani* 2. *Solis* 28. *A. Lunæ* 6. *Epact.* 2. *L. Domitio Aureliano & Pomponio Basso Coss.*

Paulus Samosatenus cum suis, vt vt à Synodo damnatus, ab Ecclesiæ domo nolebat exire: ideo compellandus fuit Imperator, quod hactenus nunquam contigerat Christianis. Aurelianus respondet vt ijs detur domus, quibus cum per literas communicant ij qui sequuntur idem dogma, quod Italiæ & Romanorum Episcopi. *Eusebius lib.* 7. *cap.* 30. His verbis innuebat Mediolanensem & Romanum cum Episcopis suarum prouinciarum. Aurelianus aduersus Sueuos, Sarmatas, Marcomannos sæpè pugnat, semper alternante victoriâ, sed ita vt ipse bello victor esset. Hinc in Zenobiam fertur Emessam vsque. In transitu Gothos, aliosque barbaros profligat. Zenobiam captam triumpho seruat, præcipuos eius Consiliarios occidit, ac inter cæteros Longinum, qui scripsit φιλόλογος. *Vopiscus.* Zenobia à Saracenis, ac Persis auxilia comparauerat, sed inualida, quod Persarum rex Hormisda tum obierit, eique successerit Varanes annos treis. *Agathias.*

*Anno Dn.* 272. V. *C.* 1025. *Aureliani* 3. *Solis* 1. *G. F.* Luna 7. *Epactæ* 13. *Quieto & Voldumiano Coss.*

Claudius vix dum in Europam redierat, cùm audit suum ducem Sandarionem cum sexcentis militibus occisum à Palmyrenis. Eò reuersus vrbem internecione delet. Hinc in Ægyptum fertur, Firmum tumultuantem opprimit. Tum in Galliam arma conuertit aduersus Tetricum, qui cessit vltrò, quod eum iam dudum tæderet imperij. *Vopiscus.*

*Anno Dn.* 273. *V. C.* 1026. *Aureliani* 4. *Solis* 2. *E. Lunæ* 8. *Epactæ* 24. *Olymp.* 263. *M. Claud. Tacito, Furio Placido Coss.*

De Zenobia, & Tetrico triumphat Aurelianus magnâ pompâ, sed Senatui ingratâ; quod Tetricus Senator esset. *Pollio. Vopiscus.*

*Anno Dn.* 274. *V. C.* 1027. *Aureliani* 5. *Solis* 3. *D. Lunę* 9. *Epact.* 5. *Aureliano Augusto II. Iulio Capitolino Coss.*

Aurelianus firmioribus muris Romam vallat, Soli templum ædificat, & agonem pentaëtericum consecrat. *Eusebius.* Erat videlicet hic XLVIII. Agon Domitiani, quem Aurelianus Soli voluit consecrari, vt quem putaret esse certissimum Deum. Hinc per Galliam ad Vindelicos se confert, ac eos à barbarorum incursione liberat. *Vopiscus.* Felix E.R. obit III. Kalend. Iulias. Sepelitur in suo cœmeterio, in quo basilicam quoque fecerat. Cessat Episcopatus dies quinque. Succedit Eutychianus XXVII. E. R. *Damasus.* Ita sedere cœpit Eutychianus Iunij quinto, feriâ sextâ. Hactenus in cœmeterijs Christiani suas synaxes habere soliti, simul ac eis licuit domos aliquas suis conuentibus destinare, quod vix illis contigit ante Gallieni tempora, extruxerunt illas iuxta cœmeteria, easque basilicas nuncuparunt, adeoque iam tum inoleuerat luxus, vt vetuerit Eutychianus, teste Damaso, ne quis martyrem sine dalmatica vel collobio purpurato

ſepeliret. Quintus Perſarum rex Narſes regnat annos 28. *Agathias.*

*Anno Dn. 275. V. C. 1028. Aureliani 6. Solis 4. C. Lunę 10. Epactæ 16. Aureliano Augusto III. T. Nonio Marcellino Coſſ.*

Domno ſuccedit Timæus XVII. Epiſcopus Antiochiæ. *Euſebius.*

*Anno Dn. 276. V. C. 1029. Aureliani 7. Solis 5. B. A. Lunę 11. Epact. 27. M. Aurelio Probo, Anicio Paulino Coſſ.*

Cùm hactenus caſtigatiſſimis Onuphrij Panuinij faſtis nullum par Conſulum deſit, ſuperſit nullum, his intra quinquennium proximum deeſſe neceſſe eſt vnum par Conſulum: Id autem par, quod illis deeſt, cenſemus eſſe Probi Paulinique par, quod huic anno aſſignandum cenſuimus, auctore Caſſiodoro. Vix dum edicto, quo perſecutionem aduerſus Chriſtianos imperabat, ſubſcripſerat Aurelianus, cùm iuxta menſam eius fulmen ruit, neque multò poſt inter Byzantium & Heracliam occiditur. *Euſebius in Chronico, & lib. 7. cap. 30.* Occiditur, inquam, IV. Kalendas Februar. Mneſthei fraude, quâ paulo poſt detectâ, Mneſtheus beſtijs obiectus eſt. Milites ſui ſceleris tantopere pœnituit, vt quaſi pœnę loco noluerint ſibi ius Imperatoris eligendi, quod hactenus fecerant, arrogare, ſed id Senatui detulerint. Senatus viciſſim hoc ius in militem refundit. Dum ſæpiùs alter alteri cedit, octo fluxerunt menſes ſine Principe, ſine diſcordia. Tandem electus Tacitus VII. Kalend. Octobr. *Vopiſcus.*

*Anno Dn. 277. V. C. 1030. Probi 1. Solis 6. G. Lunæ 12. Epact. 8. Olymp. 264. M. Claud. Tacito Augusto II. Fulvio Aimiliano Coſſ.*

Tacitus barbaros aliquot ex palude Mæotide Romanum imperium ingreſſos, coegit in ſuas ſedes reuerti. Tantæ fuit frugalitatis, vtq; ſextarium vini vix biberet vno die, vt nollet vxorem gemmis vti, nec auro clauato textiliue. Patrimonium ſuum Reipublicæ donauit. *Vopiſcus.* Ducenteſimo principatus ſui die febri moritur Tarſi. *Victor.* Obijt igitur Idibus Aprilis. Huius frater Florianus arreptum imperium vix duos menſes retinuit, cùm Probum exercitus elegiſſent natum Sirmij ciuitate Pannoniæ. *Vopiſcus.* Manes impuriſſimam hæreſim ſuam promulgare incipit anno 324. exeunte, vel 325. ineunte æræ, quam Antiocheni & Laodiceni inſtituerunt in honorem Iulij Cæſaris anno V. C. 706. anno Seleucidarum & Edeſſenorum 588. Ab eodem anno Probi ſuam Enneadecaëteridem inchoauit Anatolius Alexandrinus Epiſcopus, eam potiſſimùm ob cauſam, quod in Arietis primùm incidiſſet interlunium Martij 21. feriâ quartâ. Ideo primum ſuum Paſchale nouilunium conferebat in feriam V. Phamenoth XXVI. Dyſtri XXII. XI Kalendas Aprilis: ſed ita vt moneret non feriâ demum quintâ, ſed quartâ contigiſſe Solis ingreſſum in primum Arietis. Anatolij mentem non ſatis aſſecutus eſt Euſebius, vel mendoſa ſunt Euſebij verba. Sic enim habet lib. 7. cap. 26. vel 32. Ἐνέστηκε δ' ὁ ἥλιος ἐν τῇ προκειμένῃ φαμενὼθ ἕκτῃ καὶ εἰκάδι οὐ μόνον ἐπιβὰς τοῦ πρώτου τμήματος, ἀλλὰ καὶ τετάρτην ἡμέραν ἐν αὐτῷ διαπορευόμενος. Cùm hæc

lectio sit falsi manifesta, omnino rationi consentaneum est Eusebium vel Anatolium scripsisse ἀλλ' ἤδη κζ' πεντήκοντα ἡμέραν, nempe ἑβδομάδος.

---

*Anno Dn.* 278. *V. C.* 1031. *Probi* 2. *Solis* 7. *F. Lunæ* 13. *Epact.* 19. *M. Aurelio Probo Augusto II. Furio Lupo Coss.*

Cùm ab annis aliquot Gallias inuasissent Germani, Probus eos profligat, primùm vltra Nicrum, qui nunc Heidelbergam alluit: dein etiam trans Albim, occisis quadringentis quadraginta millibus. *Vopiscus.*

---

*Anno Dn.* 279. *V. C.* 1032. *Probi* 3. *Solis* 8. *E. Lunæ* 14. *Epact.* 10. *Probo Augusto III. Ouinio Paterno Coss.*

Hoc circiter anno Probus Rhætias, Illyricum, Thraciam à barbaris vexatas pacat, hostibus ad deditionem adactis aut in amicitiam receptis. *Vopiscus.*

---

*Anno Dn.* 280. *V. C.* 1033. *Probi* 4. *Solis* 9. *D. C. Lunę* 15. *Epact.* 11. *Junio Messala & Grato Coss.*

Probus Isauriam & Pamphyliam à latronibus liberat, in Syria tumultuantem Saturninum opprimit, in Ægypto Copton & Ptolemaïdem liberat à barbarorum seruitute, legatos à Parthis pacem poscentibus accipit. *Vopiscus.*

---

*Anno Dn.* 281. *V. C.* 1034. *Probi* 5. *Solis* 10. *B. Lunæ* 16. *Epact.* 22. *Olymp.* 265. *Probo Augusto IV. C. Junio Tiberiano Coss.*

Probus audiens Proculum Alpium, & Bonosum Hispaniensem origine Britannum imperium arripuisse, redit in Thraciam, in eaque patitur pedem figere Bastarnarum CM. certis legibus quas seruauerant. Sed cùm simile quidpiam Gepidis, Gautunis, Vandalis permisisset, ij promissis non steterunt. Proculum ad populares suos Francos fugientem prodentibus ipsis Francis interimit. Bonosus etiam à Probo licet ægrè superatus laqueo vitam finit. *Vopiscus.*

---

*Anno Dn.* 282. V. *C.* 1035. *Probi* 6. *Solis* 11. *A. Lunæ* 17. *Epact.* 3. *Probo Augusto V. Pomponio Victorino Coss.*

Gepidas, Gautunos, Vandalos fide fracta solum Romanum incursantes, multis prœlijs contundit ac profligat Probus. Tot rebus benè prosperéque gestis, militum tamen, quod ijs seuerior esset, manus effugere non potuit, ab ijs occisus Sirmij, vnde domo natus erat, IV. Kalend. Nouemb. Huic statim à milite substitutus est Carus. Is filium suum Carinum Cæsarem facit. *Vopiscus.*

---

*Anno Dn.* 283. *V. C.* 1036. *Cari* 1. *Solis* 12. *G. Lunę* 18. *Epact.* 14. *M. Aurelio Caro Augusto II. M. Aurelio Carino Cæsare Coss.*

Eutychianus E. R. martyrio coronatur Idib. Decembr. Cessauit Episcopatus dies 9. Succedit Caius. *Damasus.* Electus est ergo Caius XXVIII. E. R. Decembr. 16. feriâ primâ. Carus confecto, quod à Probo fuerat inchoatum, bello Sarmatico, contra Persas profi-

proficiscitur, seditionibus intestinis laborantes, ideoque Mesopotamiam capit, Ctesiphontem vsque progreditur. Eam ob causam superbiens, fulminis ictu vel terrore exanimatur. Succedunt illi duo filij Carinus pessimus, & Numerianus ἄριστος. *Vopiscus.*

---

*Anno Dn.* 284. V. *C.* 1037. *Carini* 1. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 19. *Epact.* 25. *M. Aurelio Caro August. II. M. Aurel.* N*umer. Aug. II. Coss.*

Numerianus quasi victor ab Oriente rediens, morbo correptus, dum lecticulâ veheretur, ab Apro socero suo occiditur Perinthi, vixque post aliquot dies fœtore cadaueris detectum est scelus. Etiam sceleris auctore detecto, Diocletianus à militibus Imperator salutatus, Aprum statim interficit suâ manu, XV. Kalend. Decembr. Nicomediam ingressus est purpuratus decimo post die V. Kalend. Octobreis. Ab huius Diocletiani primordijs Ægyptij nouam æram inchoarunt, à præcedentis videlicet Thoth neomeniâ, Augusti 29. Nouilunio, eamque vocarunt æram gratiæ. Quæcunque tandem causa fuit, cur gratię dicta sit hæc æra, constat eam ab huius anni Thoth initium ducere, idque tam certò, vt hactenus fluctuans & vitiosa Baronij chronologia deinceps incipiat recto stare talo. Dum enim veræ simul & receptæ Christi æræ annos exhibere se putabat, re vera neutros exhibebat: deinceps omissis duobus Consulum paribus, id assecutus est, vt saltem receptæ Christi æræ annos fideliter exhiberet. Cùm igitur æram Diocletiani Baronius inchoat ab anno Domini 284. rectè veréque dicitur id ab eo, modo id de receptâ, non de verâ Christi ærâ intelligatur: idemque dicimus de sequentium Imperatorum annis.

---

*Anno Dn.* 285. *V. C.* 1038. *Diocletiani* 1. *Solis* 14. *D. Lunæ* 1. *Epact.* 7. *Olymp.* 266. *Diocletiano Augusto II. Aristobulo Coss.*

Panegyricus Diocletiano dictus ait eum Imperatorem salutatum Palilibus XI. Kalend. Maij. Rectè, modo id intelligatur de salutatione à Senatu factâ, simul ac Romam aduenit. Carinus interim in Gallia retinebat imperium. Eò delatus Diocletianus Carinum multis prœlijs profligat.

---

*Anno Dn.* 286. *V. C.* 1039. *Diocletiani* 2. *Solis* 15. *C. Lunę* 2. *Epacta* 18. *M. Iunio Maximino II. Vettio Aquilino Coss.*

Carinus vix tandem opprimitur apud Mursium in Gallijs his Coss. si modo credimus actis S. Sebastiani à Baronio laudatis. Sed in ijs multa sunt fidei sublestæ. Cùm vndique noui tumultus exorirentur, Diocletianus Maximianum Herculeum, quem iam Cæsarem fecerat, ex Cęsare facit Augustum XI. Kalend. Maij. *Eutrop. lib.* 9.

---

*Anno Dn.* 287. *V. C.* 1040. *Diocletiani* 3. *Solis* 16. *B. Lunæ* 3. *Epacta* 29. *Diocletiano Aug. III. M. Aurel. Maximiano Aug. II. Coss.*

Quod Baronius in hunc annum confert Diocletiani aduersus Manichæos edictum, valde suspectum est. Quorsum enim Ethnicus in hæreticis anathemate feriendis operam nauet?

*Anno Dn.* 288. *V. C.* 1041. *Diocletiani* 4. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 3. *Epact.* 10. *M. Aurelio Maximo, Pomponio Ianuario Coss.*

Hieracitarum hæreseos exortum in hunc annum confert Baronius. Veteres annum non definiunt, sed Epiphanius hæres. 67. monet Hieracitas exortos aliquot annis post Manichæos, de quibus diximus A. D. 277.

*Anno Dn* 289. *V. C.* 1042. *Diocletiani* 5 *Solis* 18. *F. Lunæ* 5. *Epactæ* 21. *Olymp* 267. *Annio Basso II. L. Ragonio Quinctiano Coss.*

R. Hona Suranæ doctor Academiæ, cùm annos 40. docuisset, obit, eique succedit R. Chasda. *Zacut.*

*Anno Dn.* 290. *V. C.* 1043. *Diocletiani* 6. *Solis* 19. *E. Lunæ* 6. *Epact.* 2. *Diocletiano Augusto IV. Maximiano Augusto III. Coss.*

Andronicus, Taracus, Probus martyrio coronantur VIII. Kalend. April. *Acta Proconsularia apud Baronium.*

*Anno Dn.* 291. *V. C.* 1044. *Diocletiani* 7. *Solis* 20. *D. Lunæ* 7, *Epact.* 13 *C. Iunio Tiberiano II. Cassio Dione Coss.*

Galerius Valerius Maximianus agrarijs parentibus natus, eòque dictus Armentarius, vxore repudiatâ ducit Valeriam Diocletiani filiam. Constantius itidem in Illyrijs natus Eutropij & Claudiæ (quam adoptauerat patruus Imperator Claudius) filius Helenâ, ex qua Constantinum susceperat, repudiatâ, ducit Theodoram Maximiani Herculij filiam. Hac occasione ambo Imperatores suos generos Cæsareâ & Tribunitiâ potestate donant. *Vopiscus. Eutropius. Victor. Inscriptiones.*

*Anno Dn.* 292. *V. C.* 1044. *Diocletiani* 8. *Solis* 21. *C. B. Lunæ* 8. *Epact.* 24. *Afranio Hannibaliano, M. Aurelio Asclepiadoto Coss.*

Busiris & Coptus contra Romanos rebellantes ad solum vsque subuertuntur. *Eusebius.*

*Anno Dn.* 293. *V. C.* 1046. *Diocletiani* 9. *Solis* 22. *A. Lunæ* 9. *Epact.* 5 *Olymp.* 268. *Diocletiano Augusto V. Maximiano Aug. IV. Coss.*

Carausius septennio post vsurpatum imperij titulum, ab Allecto Socio trucidatur, qui post eum Britannias triennio tenuit. *Eutropius lib.* 9.

*Anno Dn.* 294. *V. C.* 1047. *Dioclet.* 10. *Solis* 23. *G. Lunæ* 10. *Epact.* 16. *Fl. Valerio Constantio Nobilissimo, C. Galerio Valerio Maximiano Nobili Coss.*

Andreas fortissimus Tribunus cum magnâ Christianorum manu martyrio coronatur in Tauri montis angustijs XIV. Kalend. Septemb. die Dominica. Anysia properans ad Dominicum Decemb. XXX. feriâ 1. trahitur ad supplicium. *Metaphrastes.* Baronius hæc perperam refert ad A. D. 301. & 303.



*Anno Dn.* 295. *V. C.* 1048. *Diocletiani* 11. *Solis* 24. *F. Lunæ* 11. *Epact.* 27. *Numio Tusco, Annio Cornelio Anullino Coss.*

Iuxta Coloniam Agrippinam templum Martis militaris vetustate collapsum à solo restituitur. *Inscriptiones Gruteri pag.* 58.

*Anno Dn.* 296. *V. C.* 1049. *Diocletiani* 12. *Solis* 25. *E. D. Lunę* 12. *Epact.* 8. *Diocletiano Aug. VI. Fl. Valerio Constantio Cæsare II. Coss.*

Caius E. R. martyrio coronatur X. Kal. Maij. Episcopat⁹ vacat dies 11. Succedit Marcellinus XXIX. E. R. *Damas.* Electus est igitur Maij 3. feriâ 1. Allectum vel Alectum, cùm Britānias triennio tenuisset, opprimit Asclepiodotus Præfectus Prætorio. *Eutropius lib.* 9.

*A. D.* 297. *V. C.* 1050. *Dioclet.* 13. *Sol.* 26. *C. Lun.* 13. *Epact.* 19. *Olymp.* 269. *M. Aurel. Maximiano Aug. II. C. Galer. Maxim. Cæsar II. Coss.*

Cùm Achilles Ægyptum inuasisset, Diocletianus eum octo menses oppugnat, superat, interficit. Totam Ægyptum grauibus proscriptionibus cædibusque fœdat. *Euseb. Eutrop. lib.* 9.

*Anno Dn.* 298. *V. C.* 1051. *Diocletiani* 14. *Solis* 27. *B. Lunæ* 14. *Epact.* 0. *Anicio Fausto II. Seuero Gallo Coss.*

Ecclesiæ Hierosolymitanæ XXVII. Episcopus ordinatur Zabdas. *Eusebius.* Videlicet, licet Hierosolyma diu deserta fuerit, vel à solis Ethnicis culta, tamen fuit semper non procul inde grex aliquis, qui se diceret Ecclesiam Hierosolymitanam.

*Anno Dn.* 299. *V. C.* 1052. *Diocletiani* 15. *Solis* 28. *A. Lunæ* 15. *Epact.* 11. *Diocletiano August. VII. Maximiano Augusto VII. Coss.*

Gurias & Samonas Nouembr. XV. martyrio coronantur. *Metaphrastes. Surius.*

*An. D.* 300. *V. C.* 1053. *Dioclet.* 16. *Sol.* 1. *G. F. Lun.* 16. *Epact.* 22. *Fl. Valerio Constantio Cæs. III. C. Galerio Valer. Maximiano Cæs. Coss.*

Constantius Cæsar circa Lingonas primùm fugit, mox exercitu aduentante LX. ferè Alemannorum millia cædit. Maximianum autem Cæsarem Narses Persarum rex turpiter profligat. *Eusebius. Eutropius lib.* 9. R. Chasdæ defuncto succedit in Academia Surana Rabba, annos 22. Is composuit in vtrumque Pentateuchum commentarios, qui de nomine auctoris dicuntur Rabboth. *Abrahami Cabbala.* Ita, cùm dicitur *Bereschit Rabba*, perinde est ac si dicas, commētarius in Genesim, quem scripsit Rabba. Idem de sequentibus libris esto iudicium.

*Anno Dn* 301. *V. C.* 1054. *Diocletiani* 17. *Solis* 2. *E. Lunæ* 17. *Epact.* 3. *Olymp.* 270. *Posthumio Giliano II. Fl. Popilio Nepotiano Coss.*

Veturius magister militiæ Christianos acriter persequitur. Terræ motus euertit multa circa Tyrum & Sidonem. *Eusebius.*

*Anno Dn.* 302. *V. C.* 1055. *Diocletiani* 18. *Solis* 3. *D. Lunę* 18. *Epact.* 14. *Constantio Cæsare IV. Maximiano Cæsare IV. Coss.*

Maximianus Cæsar aduersus Narsem Persarum regem fortiter & feliciter pugnat. *Eusebius. Eutropius lib.* 9. Videtur tum obijsse Narses, eique successisse Misdates. Is regnat annos 8. *Agathias.*

*Anno Dn.* 303. *V. C.* 1056. *Diocletiani* 19. *Solis* 4. *C. Lunæ* 19. *Epact.* 25. *Dioclet. Aug. VIII. Maximiano Herculio Augusto VII. Coss.*

Diocletianum anno XIX. sui principatus circa Paschatis festum, adeoq; Coss. istis iussisse Christianorum Ecclesias subuerti, satis constat ex Eusebio & ex proconsularibus aliquot actis. Sed illud mirum, quod id factum legatur modo mense Martio, modo Aprili. Causa diuersitatis hæc est, quod hoc anno Pascha celebrari potuit à quibusdam Martij 28. ab alijs Aprilis 18. Ita potuerunt Ecclesiæ subuerti quibusdam in locis circa Martij finem, quibusdam vltra medium Aprilis, vtrobique tamen circa Pascha. Igitur anno secundum Antiochenos 351. toto orbe Romano iussu Diocletiani subuertuntur Ecclesiæ. *Euseb. in chron. & lib.* 8. *c.* 2. Iussit & Diocletianus codices sacros comburi, eosq; qui libros tradere recusarent, crudeliter excarnificari. Marcellinus E. R. iussu Diocletiani thus offert idolis, multis etiam Christianis inspectantibus. Accusatur in Synodo Sinuessana: diu negat, tandem multitudine testium obrutus, culpam fatetur. Testantur id Damasus & acta Synodi mendosissima quidem illa, sed quæ probabile non est esse planè supposititia. Felix Thibarensis sacros codices tradere iussus, negat se daturum. Ducitur ad supplicium III. Kalend. Septembris. Nescio quid distulit supplicium in Octobris 14. Interim Luna in sanguinem versa est. *Surius.* Hæc eclipsis contigit Septemb. 13. feriâ 2.

*Anno Dn.* 304. V. *C.* 2057. *Constantij* 1. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 1. *Epactæ* 7. *Diocletiano Aug. IX. Maximiano Augusto VIII. Coss.*

Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani purpuram exuunt. *Euseb.* Contigit id anno CI. post ludos sæculares Seueri. *Zozimus.* Succedunt illis ambo Cæsares. Marcellinus E. R. thurificationis infamiam martyrij laude constanter eluens, ad supplicium ducitur Martij 21. Corpus insepultum iacet dies 36. Sepelitur Aprilis 26. Episcopatum cessasse annos septem, menses sex, dies 16. legitur apud Damasum. Sed huiusmodi numerorum notationes pleræque mendosæ sunt. Episcopatus dici potest annum vnum, & aliquot menses, ac dies cessasse, si cessationis initium sumas à Marcellini lapsu. Vt vt sit, Marcellino succedit Marcellus. In Africâ quoq; coronantur multi martyres, pridie Idus Februar. *August. breuic collat. die* 3. *& contra Cresconium lib.* 3. *cap.* 26.

*A. D.* 305. *V. C.* 1058. *Constantij* 2. *Sol.* 6. *G. Lun.* 2. *Epact.* 18. *Olymp.* 271. *Fl. Valerio Constant. August. V. C. Galerio Maximian. Aug. V. Coss.*

Synodus Cirthensis habetur tertio Non. Martij, non vno, vt volebant Do-

natistæ, sed tredecim mensibus post martyrum Africanorum gesta proximè memorata, vt rectè contendit Augustinus breuic. collat. die 3. Ideoque non erat quod insimularentur falsi Synodi Cirthensis acta, quasi feruente persecutione Synodus haberi non potuisset. Huius Synodi præses erat Secundus Tigisitanus, accusatus libros sacros comburendos tradidisse. Idem crimen & alia multò grauiora multis illius Synodi Episcopis obijciebantur. Schismatis vitandi causa, visum est reliquis hæc omnia dissimulare, cùm tamen ijdem longè leuiorem ob causam turbas immanes ediderint A. D. 306. aduersus Cæcilianum eiusque successores.

---

*A.D.306.V.C.1058. Constantini 1. Solis 7. C. Lunæ 3. Epact. 29. Fl. Valerio Constantio August. VI. C. Galerio Maximiano Aug. VI. Coss.*

Imperator Galerius Maximianus Cæsares creat sororis suæ filios, Seuerum & Galerium Maximinum, Orientem Maximino destinans, Italiam Seuero, si modo Constantio posset eam eripere. Ea mente Constantij filium Constantinum specie religionis obsidem Romæ retinet. Constantinus euadit ad patrem, qui paulò post obijt in Britannia Iulij 25. Olympiade 271. *Socr. l. 1. c. 2.* vnde colligimus secundum Olympiadis annum inijsse, non Iunij 28. sed Iulij 27. proximo post Carcinonis octauum nouilunio. Et Constantinus quidem in Britannia statim salutatus est Imperator. Roma verò titulum hunc offerre maluit Maxentio Maximiani Herculij filio, siue vero, prout vult Zozimus, siue suppositio, prout affirmatur in secundo panegyrico Constantini. Aduersus Maxentium missus Seuerus statim occiditur. Maximianus Herculius imperium recuperaturus, Constantino sociatur, eiq; dat Faustam, suam ex Eutropiâ filiam. Aduersus Christianos Maxentius & Galerius Maximinus cætera discordes, instaurant persecutionem, quam Eusebius lib. 2. vocat secundam, sui videlicet seculi. Mensurio Carthaginensi Episcopo Felix Aptungitanus Carthagine substituit Cæcilianum in Synodo. Vtrumq; traditionis insimulat Secundus Tigisitanus Episcopus, & hoc obtentu, Cæcilianum in maiore Synodo damnat absentem, eique substituit Maiorinum. Hinc ortum schisma grauissimum. *Optat. & August. passim.* Alexandriæ quoque Meletianorum aduersus Petrum Episcop. peruicaciâ concitatum schisma, quod diu vexauit Ægyptum. *Athanasius aduersus Arianos disput. 1.*

---

*A.D.307.V.C.1060. Constantini 2. Solis 8. E. Lunę 4. Epact. 10. Fl. Valerio Constantin. Aug. M. Aurel. Valer. Maximian. Hercu. IX. Coss.*

Maximianus Herculius imperium, quod auctore Diocletiano deposuerat inuitus, recuperaturus, tam filio Maxentio, qaàm genero Constãtino struit insidias. Ab vtroque repulsus, Massilię vitam laqueo finit. *Zozimus. Eutrop. l. 9. Euseb. lib. 8. cap. 26.*

---

*Anno Dn. 308. V.C. 1061. Cõstantini 3. Solis 9. D. C. Lunæ 5. Epact. 21. C. Galerio Maximiano Aug. VII. Diocletiano X. Coss.*

Tertio secundæ persecutionis anno Cæsareæ martyrio coronatur Apphianus Aprilis, siue Xanthici 2. parasceue,

siue feriâ 6. *Eusebius lib.* 8. *cap.* 14. Baronius id perperam refert ad A. D. 304. Ineunte verò quarto persecutionis eiusdem anno XIII. Kalend. Decembr. παρασκευῆ τῇ ἡμέρᾳ, feriâ sextâ. Vrso obijcitur Agapius. Postridie Dij 20. XII. Kalend. Decembr. in mare mergitur. Sic enim accipiẽda sunt Eusebij verba.

---

*Anno Dn.* 309. *V. C.* 1062. *Constantini* 4. *Solis* 10. *B. Lunę* 6. *Epact.* 2. *Olymp.* 272. *Maxentio Augusto IV. Junio Maximo Coss.*

Marcellus E. R. post multos agones piè moritur XVII. Kalend. Februarij. Episcopatus cessat dies 20. Succedit Eusebius. *Damasus.* Eusebius igitur ordinatus est Februarij sexto, feriâ 1.

---

*Anno Dn.* 310. *V. C.* 1063. *Constantini* 5. *Solis* 11. *A. Lunę* 7. *Epactæ* 13. *II. Post Consulatum Galerij Maximiani VII. Diocletiani X.*

Theodosia virgo Tyria secundæ persecutionis anno quinto Cæsareæ martyrium facit, Xanthici siue Aprilis 2. feriâ primâ. *Eusebius lib.* 8. Sapores septimus Persarum rex regnat annos 60. quorum initium annis 54. ante Iouinianum. Sic enim legendum apud Agathiam. Galerius Maximianus Licinium ad consortium imperij vocat, eumque pro more Consulem designat secum in sequentem annum. *Eutropius lib.* 10.

---

*Anno Dn.* 311. *V. C.* 1064. *Cõstantini* 6. *Solis* 12. *G. Lunę* 8. *Epact.* 24. *C. Galerio Maximiano Aug. VIII. C. Aurelio Licinio Augusto Coss.*

Maximianus hic vermibus & abdomine erumpentib⁹, cùm fœdum in modum puteret ac periret, Dei manum sentiens persecutionem cessare iubet suo & Constantini nomine. Hæc secunda fuit persecutio, quæ si cum prima coniungatur, ambæ simul durarunt annos circiter octo. Sic enim intelligendus Eusebius l. 8. c. 22. 28. 29. Vix semestris fuit hæc quies. Cùm enim Maximianus non multò post perijsset Salonis, huius exemplo nihilo melior factus Maximinus, persecutionem instaurat, Antiochiæ Lucianum occidit, Alexandriæ Petrum Episcopum. Petro succedit Achillas. Maximini furorem castigat Deus, tum quod ab Armenijs quos lacessebat, turpiter profligatus est, tum immissa peste & fame, in quâ Christianorum humanitatem tam admirabilem reddidit Deus, quàm nuper constantiam in martyrijs. *Euseb. l.* 9. *c.* 6. 7. 8. Eusebius E. R. obit VI. Kalend. vel VI. Non. Octobreis. Succedit Miltiades. *Damasus. Martyrol. Rom.*

---

*Anno Dn.* 312. *V. C.* 1065. *Constantini* 7. *Solis* 13 *F. E. Lunę* 9. *Epact.* 5. *Constantino Augusto II. Licinio Augusto II. Coss.*

Aduersus Maxentij sæuitiam Constantini subsidium implorãt etiam Ethnici. In itinere visionis illustris beneficio aliquo Christianismi gustu imbuitur. Quater profligat Maxentij copias, licet quadruplo maiores, apud Segusienses, Taurinos, Brixiam, pontem Miluium, vbi Maxentius suis ipse laqueis implicatus, miserè perit. Post triumphum Christiana fide pleniùs imbutus Constantinus, Christo victoriam suam refert acceptam. Indictionum vsum instituit, quarum caput arcessen-

dum ab VIII. Kalend. Octobreis huius anni (quod eâ die fieret æquinoctium autumnale Constantini seculo) vel à Ianuarijs sequentis anni Kalendis. Annos à conditu Romæ diuide per quindecim, ab huius anni æquinoctio autumnali ducet initium LXXII. *πεντεκαιδεκαετηρίς*.

---

*A. D.* 313. *V. C.* 1066. *Indictione* 1. *Constantini* 8. *Sol.* 14. *D. Lun.* 10. *Epact.* 16. *Olymp.* 273. *Constant. August. III.* Licinio *August. III. Coss.*

Maximinus edicto publico Christianos insectatus A. D. 311. coactus est ante vertentem annum palinodiam canere, eamque duplicem, primùm A. D. 312. tum hoc anno. Sed tam inutilis ipsi fuit adulatio, quàm comminatio. Perijt Tarsi molli flammâ medullas exedente, & corpus eius ita mutilante, vt fieret horrendum aspectu. *Eusebius lib. 9. cap. 9. 10.* Ita tum exitum habuit tertia persecutio. Ab initio primæ ad exitum vltimæ sunt anni circiter decem. Maiorino, quem Cæciliano Carthaginensi Secundus Tigisitanus opposuerat, defuncto substituit idem incendiarius Donatum, à quo se dictos volunt Donatistæ. Hi rogant Anullinum Proconsulem XVII. Kalend. Maij, vt Donato, non Cæciliano, detur cathedra. His Imperator Constantinus dat iudices, tres Gallos, duos Italos. Romæ conuenerunt VI. Non. Octobr. feriâ sextâ. Damnati Donatistæ non acquiescunt. Audiri rursus eos iubet Carthagine: quin & eos audit ipse, postque multas contentiones quemque patitur ad sua redire. *Optatus. Augustinus brevic. collat. die 3. & passim alibi.*

[ * * * ]

---

*Anno Dn.* 314. *V. C.* 1067. *Constant.* 9. *Sol.* 15. *C. Lun.* 11. *Epact.* 27. *Indict.* 2. *C. Ceionio Rufo Volusiano, Rufino Anniano Coss.*

Donatistæ rursùs audiuntur 1. ab Æliano proconsule Carthagine XV. Kal. Martias. 2. in Arelatensi Synodo ducentorum Episcoporum à Constantino conuocata Kalend. August. Neque multò post ibidem conuocatur altera Synodus prouincialis, quæ priorem, vt magnam Synodum concelebrat. cap. 4. Et sanè nulla tum maior, aut illi comparanda fuerat congregata. Præses illius fuit Marinus Arelatensis. In ea Synodo confirmantur canones Paschales, quos diximus conditos A. D. 189. *Augustinus passim. Optatus lib. 1. Acta Synodi.* Anno CCXLV. post templi subuersionem persecutionem in Iudæos decernunt Persæ. *Seder olam zuta.* Miltiades E. R. obit eique succedit Syluester. *Damasus.*

---

*Anno Dn.* 315. *V. C.* 1068. *Constant.* 10. *Solis* 16. *B. Lunæ* 12. *Epacta* 8. *Indict.* 3. *Constantino Augusto IV. Licinio Augusto IV. Coss.*

Iudas Hillelis Patriarchæ filius Iosephum iuuentutis suæ moderatorem ad populares suos in Ciliciam mittit vt Apostolum, qui decimas & primitias eorum colligeret. Deprehendunt Iudæi Iosephum occulta cum Christianis habentem colloquia, Euangeliaque lectitantem, pugnis concîdunt, in Cydnum fluuium deijciunt. Euadit is ad Constantinum, & amanter exceptus, obtinet facultatem Ecclesiarum aliquot condendarum in Iudæâ, Tiberiade, Scythopoli, Diocæsareæ. Is fuisse videtur

auctor Constantino ferendæ legis aduersus huiusmodi Iudęorum furores, quæ legitur cod. Theod. lib. 16. tit. 6. Arius suo dogmate cùm iam multos infecisset, Alexandri præsulis Alexandrini monitiones & censuras flocci facit. *Epiphanius hæresi* 68. *Socrates lib.* 1. *cap.* 6. Syluester E. R. in Synodo sua fulmina torquet in Victorinum, quod diceret proximè sequens Pascha X. Kal. Maij celebrandum, vt docent acta Synodi mendosissima quidem illa, quin & multis mendacijs conspurcata: sed in quibus tamen subest aliquid veri, vt quod de Victorino diximus, vnde patet eam Synodum hoc anno habitam.

*Anno Dn.*316.V.*C.*1069.*Cōstantini* 11.*Solis* 17.*A.G.Lunæ* 13.*Epactæ* 19.*Ind.*4.*Sabino & Q. Aradio Rufino Valerio Proculo Coss.*

Constantinus Donatistas rursus audit, rursus damnat Mediolani. Cùm nihilominus insolentiores in dies euaderent, tamen illi satis fuit omnes minis territare, quosdam in exilium mittere. *August. Glorioso epist.*162. *in Parmenian.l.*1.*cap.*6.8.*& lib.*11.*cap.*92. Arium cum socijs rursus damnat Alexander Alexandrinus Episcopus in Synodo centum Episcoporum. Arius confugit ad Eusebium Nicomediensem. *Socrat.l.*1.*c.*6. Licinius Oriente non contentus cùm Occidentem Constantino ereptum iret dijs suis fretus, turpiter profligatus in Thraciam fugit. Iterum victus pacem impetrat, eamque non iniquam. Cæsares dicuntur Licinianus Licinij, Crispus & Constantinus Constantini filij.



*A.D.*317.*V.C.*1070.*Constantini* 12.*Solis* 18.*F.Lunę* 14.*Epact.*0.*Indict.*5. *Olymp* 274. *Ouinio Gallicano, Septimio Basso Coss.*

Licinius infidus & inquies bellum reparat, sed mari. Sed & maris non minùs quàm terræ potens Christus, Constantino victoriam vbique largitur, 1. terra, circa Hadrianopolim, vbi Licinius hominum XXIV M. amisit. 2. ad Cybalim. 3. ad Eleuntem. 4. ad Chrysopolim, vbi Licinius hominum CM. amissis, Constantino se dedit, ac Thessalonicam ablegatur, & tamen Consulatum in sequentem annum impetrat. *Euseb. de vita Constantini l.*2.*c.*12.

*A.D.*318.*V. C.*1071. *Constant.* 13. *Solis* 19. *E. Lunę* 15. *Epact.* 11. *Indict.* 6. *Licinio Augusto, Fl. Valerio Crispo Cæsare Coss.*

Constantiam Constantini sororem, Licinij coniugem Arij veneno inficit Eusebius Nicomediensis. Forsan & ipsi Constantino persuasit penes Alexandrum, quàm penes Arium grauiorem esse culpam. Constantinus Ægyptijs stomachosè scribit, Alexandrum primò, sed Arium grauiùs increpat: Hosium mittit Cordubensem Episcopum, qui nomine Principis rixas componat. *Eusebius de vita Constantini lib.* 2. *Socrates lib.* 1. *cap.* 7. *Theodoretus lib.* 1. *cap.* 7.

*A.D.*319. *V. C.*1072. *Constant.* 14. *Solis* 20. *D. Lunę* 16. *Epact.*22. *Indict.* 7. *Constantino Augusto* V. *C. Valerio Licinio iuniore Coss.*

Hosius ad curandos morbos in Ægypto

gypto grassantes à Constantino missus multas particulares in Ægypto Synodos conuocat, adeoque generalem totius Ægypti Synodum, vltrò permittentibus id, adeoque rogantibus ipsis Ægyptijs. *Athanasius Apologia 2.* Sed erant illorum morbi plerique tam inueterati, vt non multùm profecerit Hosius. Constantinus iubet clericos ab omnibus omnino muneribus excusari. *Cod. Th. lib. 16. tit. 2. §. 2.*

---

*A. D.* 320. V. *C.* 1073. *Constantini* 15. *Solis* 21. *C. B.* Lunæ 17. *Epact.* 3. *Indict.* 8. *Constantino Aug. VI. Constantino iuniore Cæs. Coss.*

Cùm immunitate clericis anno superiore data iam abuterentur multi, Constantinus iubet in posterum eos duntaxat in defunctorum clericorum loca subrogari, qui fortunâ tenues, neque ciuilibus muneribus tenentur obstricti. *Cod. Th. lib. 16. tit. 2. §. 3.*

---

*A. D.* 321. V. *C.* 1074. *Constantini* 16. *Solis* 22. *A. Lunæ* 18. *Epact.* 14. *Indict.* 9. *Olymp.* 275. *Crispo Cæsar. II. Constantino Cæs. II. Coss.*

Quos in exilium ante quinquennium Donatistas miserat Constantinus, eos ab exilio reuocat 3. Non. Maij. *August. epist.* 152. *& post collat. lib. 1. cap.* 33. Die Dominico Constantinus vrbanis quidem artificijs interdicit, agrorum verò culturæ liberè licenterque inseruire permittit. *C. Iust. l. 3. tit. 12. §. 3.* sed & manumissiones ac mancipationes fieri. *C. Th. l. 2. tit. 8. §. 1.* permittit clero quiduis donari. *C. Th. l. 16. tit. 2. §. 4.* Ecclesiarum instaurationem vrget. *C. Th. l. 15. tit. 1. §. 2.*

---

*A. D.* 322. *V. C.* 1075. *Constantini* 17. *Solis* 23. *G. Lunæ* 19. *Epact.* 25. *Indict.* 10. *Fl. Petronio Probiano, Anicio Iuliano Coss.*

Constantinus iubet egenos fisci sumptibus ali potiùs quàm quisquam cogatur liberos exponere vel vendere. *Cod. Th. lib. 11. tit. 27. §. 2.*

---

*A. D.* 323. *V. C.* 1076. *Constantini* 18. *Solis* 24. *F. Lunę* 1. *Epact.* 7. *Indict.* 11. *Acilio Seuero, Fl. Iunio Rufino Coss.*

Cùm Ethnici quidam auderent Christianis vim inferre, vt illos ad superstitionem gentilitiam adigerent, tantam iniuriam lege compescit Constantinus. *C. Th. lib. 16. tit. 2. §. 5.*

---

*A. D.* 324. V. *C.* 1077. *Constantini* 19. *Solis* 25. *E. D. Lunę* 2. *Epactæ* 18. *Indict.* 12. *Crispo Cæsare III. Constantino Cæsare III. Coss.*

Constantinus tredecim ante mortem suam annis agentem Thessalonicę Licinium occidit. *Victor. Euseb.* Omnes Licinij constitutiones abrogat. *C. Th. lib. 15. tit. 14. §. 1.* Componendis motibus, quos excitauerat Arij factio, Synodum generalem in annum sequentem indicit Niceæ conuocandam, suppeditatis ad eam rem sumptibus necessarijs, quomodo iam ante decennium, vbi Synodum Arelatensem conuocauit.



*A. D. 325. V. C. 1078. Constantini 20. Solis 26. C. Lunæ 3. Epact. 29. Ind. 13. Olymp. 276. Anicio Fausto Paulino, P. Publilio Ceionio Iuliano Camæno Coss.*

Constantinus Nicæam aduectus inibi legem fert X. Kalend. Iunias, de qua C. Th. lib. 1. tit. 2. §. 3. Eò conueniunt Episcopi 318. XVIII. Kalend. Iulias à Constantino conuocati, vsque ad VIII. Kalend. Septembr. Symbolum conditum est Iunij 19. Sabbatho. Vt tot alijs in Ægypto Synodis, sic etiam huic præfuit Hosius, eoque primus subscribit. Postea subscribunt duo Syluestri legati Victor & Vincentius. In eâ Synodo confirmatur Arij damnatio, qui iam à multis in Ægypto Synodis fuerat damnatus. Confirmatur etiam sanctio de Paschate, quæ iam Arelate facta fuerat A. D. 314. ac in Palæstina pridem A. D. 189. Factum id ab Arelatensibus & Nicenis iustiùs quàm à Palæstinis, quia Constantini seculo vernum æquinoctium fiebat Martij XXI. Ita nihil opus erat vt Arelatenses Niceniue niterentur falsis Palæstinorum hypothesibus. Condiderunt insuper Niceni canones Ecclesiasticos viginti. Nec enim plures recenset vllus genuinus ac probæ notæ scriptor.

*A. D. 326. V. C. 1079. Constantini 21. Solis 27. B. Lunæ 4. Epact. 10. Ind. 14. Constantino Aug. VII. Fl. Iulio Constantio Cæsare Coss.*

Constantinus perperam eos immunes à iudiciaria seueritate præstat, quos vilitas vitæ dignos legum obseruatione non crediderit. Idem adulteram deferre solis proximis necessarijsq; concedit. *C. Th. l. 9. t. 7. §. 1. & 2.* Quinq; post Synodum Nicenam mensibus Alexandriæ moritur Alexander Episcopus, eiq; substituitur à 54. Episcopis Athanasius. *Theodoret. lib. 1. cap. 26. Athanas. Apol. 2. Epiphan. hæresi 68. & 69.* Constantinus confirmans legem latam A. D. 320. ne diuites obtentu clericalis dignitatis sese subducant oneribus publicis, *Opulentos*, inquit, *oportet seculi subire necessitates, pauperes Ecclesiarum diuitijs sustentari.* C. Th. lib. 16. tit. 2. §. 6. Hæc Kalend. Iunijs suo tantùm, non etiam filiorum nomine. At pridie Kal. Sept. suo filiorumque nomine vetat, ne clericis orthodoxis concessa priuilegia transferantur ad hæreticos. *C. Iust. lib. 1. tit. 5. §. 1.* Videtur igitur intra Iunias & Septembreis huius anni Kalendas periisse Licinius iunior. Victor quoque cùm ait Constantinum decem annis præstantissimum, XII. sequentibus latronem, decem vltimis pupillum fuisse, innuere videtur hôc demum anno Constantinum sæuijsse in Crispum filium, & in sororis suæ filium Licinium, ac eam ob causam tantò maiorem authoritatem à Constantino reliquis suis filijs concessam, vt tam eorum quàm suo nomine leges conderet.

*A. D. 327. V. C. 1080. Constantini 22. Solis 28. A. Lunæ 5. Epact. 21. Ind. 15. Fl. Valerio Constantino, Fl. Valerio Maximo Basilio Coss.*

Constantia moriens fratri suo Constantino commendat enixissimè suum presbyterum Arianum, quem optimum virum putabat. Is cum Eusebio Nicomediensi Constantino persuasit cum Ario duriùs & iniquiùs actum. *Athanasius Apologia 2. Rufin. lib. 1. cap. 11. Socrates lib. 1. cap. 26.*

*A. D. 328. V. C. 1081. Constantini 23. Solis 1. G. F. Lunę 6. Epact. 2. Indict. 1. Fl. Magno Ianuario, Fabio Iusto Coss.*

Constantinus sancit famosos libellos, non examinandos, sed abolendos. *C. Th. l. 9. t. 34. §. 1.*

*A. D. 329. V. C. 1082. Constantini 24. Sol. 2. E. Lun. 7. Epact. 13. Indict. 2. Olymp. 277. Constantin. Aug. VII. Constantino Cæsare IV. Coss.*

Eusebius Nicomediensis & Theognis Nicenus Episcopi, multatum in Athanasium calumniarum & factionum rei, vix tandem Constantini Synodiq; decreto deponuntur, ijsque substituuntur Amphion & Chrestus. *Athan. Apologia 2. Socrates lib. 1. cap. 27.*

*A. D. 330. V. C. 1083. Constantini 25. Solis 3. D. Lunæ 8. Epact. 24. Indict. 3. Ouinio Gallicano, L. Aurelio Symmacho Coss.*

Constantinus Byzantium vrbem instaurat, ampliorem quàm pridem reddit, eò transfert Româ maximam ornamentorum, & Senatorum Christianorum partem, vult eam ita de suo nomine Constantinopolim dici, vt tamen eam soli Deo consecret, celebratis hoc anno eius encænijs Maij 20. feriâ primâ. Eandem vult nouam quoque dici Romam, & eodem cum vetere iure caput esse Romani imperij. *Eusebius de vita Constantini lib. 3.* Postridie, Maij 11. feriâ 2. Indictione 3. Valens astronomus eam ϑεωρῶν hariolabatur eius imperium duraturum annos 696. *Cedrenus. Zonaras.* Veriùs dixisset, annos 1122. Iudæorum patriarchas & sacerdotes iubet Constantinus ab omnibus tam personalibus quàm ciuilibus muneribus immunes esse. *C. Th. lib. 16. cap. 6. §. 2.* Hactenus patriarchas habuerant soli Iudæi: deinceps etiam Christiani suos patriarchas habere voluerunt. Nusquam tamen id à Christianis factum legimus ante Constantini mortem.

*A. D. 331. V. C. 1084. Constantini 26. Solis 4. C. Lunæ 9. Epact. 5. Indict. 4. Annio Basso, Ablabio Ægyptio Coss.*

Cùm esset venale iudicis velum, ipsa Præsidis visio, Constantinus indictâ capitis pœnâ, iubet cessare rapaces manus; aures iudicantis æquè pauperrimis ac diuitibus reserari. *C. Th. l. 1. t. 6. §. 1.* Sed in fumum abibant istæ minæ, leges istæ. Nec enim quisquam vllo modo prouinciales præsides castigabat. *Eusebius de vita Constantini lib. 4.* Idem quasi legem anno superiore latam restringens, iubet Iudæorum sacerdotes & Synagogarum principes *à corporali munere liberos esse. C. Th. lib. 16. tit. 6. §. 4.* Helena nepotum, quos occisos diximus A. D. 326. desiderio filium Constantinum increpat, & docet eos vxoris Faustæ fraude circumscriptos: quod vbi sibi persuasit Constantinus, iussit Faustam in balneas ardentes coniectam interimi. Sed & alij multi quasi Faustæ scelerum ministri, ijque forsan insontes occisi sunt. *Victor. Eutrop. l. 10. Zozimus l. 2. Suidas in voce κρίσπος.* Hæc cùm designasset, & gemmis subinde fulgeret, Ablabius Consul Palatij foribus hos versus appendit, Saturni aurea secla quis requirat? Sunt hæc gemmea, sed Neroniana. *Sidonius lib. 5. epist. 8.*

Vt insontibus immitis, sic erga sontes nimium mitis, Eusebium Nicomediensem Episcopatui suo restituit, Arium in patriam redire permittit, Athanasio reditum Arij impedienti exilium comminatur. *Socrat. lib. 1. cap. 7. & 25. Athanasius Apolog. 2.*

---

*A. D. 332. V. C. 1085. Constantini 27. Solis 5. B. A. Lunæ 10. Epactæ 16. Indict. 5. Ouinio Pacatiano, Mæcilio Hilariano Coss.*

Eusebius Nicomediensis alijq; tum Ariani, tum Meletiani, criminantur Arsenium occisum ab Athanasio. Rei cognitionem demandat Constantinus Delmatio fratris filio. Athanasius Delmatio demonstrat Arsenium adhuc viuere. Culpam fatentur sycophantæ. *Athanasius Apologia 2.*

---

*A. D. 333. V. C. 1086. Constantini 28. Solis 6. G. Lunæ 11. Epact. 27. Indict. 6. Olymp. 278. Fl. Valerio Delmatio, M. Aurelio Xenophilo Coss.*

Delmatium hunc fratris filium ornasse Consulatu videtur Constantinus, Helenæ matri consolandæ, cuius exitum Baronius quidem confert in A. D. 326. Sed potuit ad hæc vsque tempora vitam prorogare.

---

*A. D. 334. V. C. 1087. Constantini 29. Solis 7. F. Lunę 12. Epact. 8. Indict. 7. L. Ranio Publilio, Optato Anicio Paulino iuniore Coss.*

Astrologi prę̨monent futuram insignem hoc anno Solis eclipsim. *Firmic. in præfat.* Ea contigit Iulij 18.

---

*A. D. 335. V. C. 1088. Constantini 30. Solis 8. E. Lunæ 13. Epact. 19. Indict. 8. Fl. Valerio Constantio, C. Rufio Ceionio Albino Coss.*

Cùm tria decennalia celebrarit Constantinus, primis Constantinum, secundis Constantium, tertijs Constantem suos ex Faustâ filios Cæsares dixit. *Euseb. de vita Constantini lib. 4.* Habetur Tyri turbulentissima Synodus, in qua dicebatur Athanasius Arsenium, si non occidisse, saltem dextrâ mutilasse. Erat Arsenius Tyri. Deprehendit id Athanasius, & hominem comprehensum in Synodum inducit. Alias igitur, dein etiam alias accusationes in Athanasium congerunt, quibus irritatus tandem Constantinus, Athanasium in exilium mittit. Absoluto Tyrio conuentu, Patres Hierosolyma proficiscuntur, Dominicum aureum consecraturi, Arioque reditum in Ægyptum procuraturi. *Athanas. Apol. 2. Epiphan. hæresi 69.* Syluester E. R. obit pridie Kal. Ianuar. Episcopatus cessat dies quindecim. *Damasus.*

---

*A. D. 336. V. C. 1089. Constantini 31. Solis 9. D. C. Lunæ 14. Epact. 0. Indict. 9. Fl. Popilio Nepotiano & Facundo Coss.*

Marcus E. R. Syluestro substituitur XVIII. Kal. Febr. Obit Non. Octobribus. Episcopatus cessat dies viginti. Succedit Iulius VI. Kalend. Nouembreis. Sic enim legendum censemus apud Damasum. Constantinus legem quam A. D. 315. tulerat, confirmans, vetat ne quis Iudæus audeat eos inquietare, qui fiunt ex Iudæis Christiani. *C. Th. l. 16. t. 6. S. 5.* Arius cùm iterum

Alexandriæ repetendæ veniam obtinuisset à Constantino, ac iam Athanasianis insultaret Constantinopoli, repente cum excrementis effundit eciam viscera. *Athanasius ad solitarios. Socrates libr. 1. cap. 25. Sozomenus lib. 2. cap. 28.*

[*⁎*]



# ECCLESIÆ CHRISTIANÆ CENTVRIA QVARTA.

*Anno Domini* 337. *Vrbis conditæ* 1090. *Constantij* 1. *Solis* 10. *B.* *Lunæ* 15. *Epact.* 11. *Indictione* 10. *Olympiade* 279. *Ti. Fabio Titiano Maximino & Feliciano Coss.*



CONSTANTINVS huc vsque distulerat baptismum, prauo, sed recepto tum more, cupiens scilicet in Iordane baptizari, an vt solutiùs ageret. Ad Persicum autem bellum sese parans, repentè morbo corripitur in suburbio Nicomediæ, ibique baptizatur ab Eusebio Nicomediensi, Arianorum signifero, vt quidem vult Hieronymus: vel adstante quidem Eusebio, sed ab orthodoxo tamen, quod vero propius est; cùm ibidem Athanasium, quem in exilium miserat, Alexandriam remitti iusserit, vt sincerum orthodoxæ fidei patronum. Imperium tribus filijs ita partitur, vt Constantino quidem maximam Occidentis, Constantio maximam Orientis partem dederit, Constanti partem aliquam Occidentis, aliquam Orientis. Postridie baptismi, vel certè paulò post baptismum moritur, Maij XXI. die Pentecostes, vt testantur Eusebius in Chronico, & de vita Constantini l. 4. Ambrosius de obitu Theodosij, & Synodus Ariminensis apud Socratem lib. 2. cap. 37. Theodoretum l. 2. cap. 18. & Sozomenum lib. 3. cap. 18. Hæc tot testibus firmata, plus satis sufficiunt ad refellendam fabulam quâ fingitur Constantinus ob persecutionem leprâ percussus, dein à Syluestro sanatus ac baptizatus, eam ob causam totum Occidentem tum Syluestro, tum successoribus eius donasse. Huic commento varias quidem formas indiderunt impostores varij, sed ita vt eorum nulla sit, quæ non sit multis nominibus falsi manifesta.

*Anno Dn.* 338. *V. C.* 1091. *Constantij* 2. *Solis* 11. A. *Lunæ* 16. *Epact.* 22. *Indict.* 11. *Polemio & Vrso Coss.*

Sapores rex Persarum audita Constantini morte, Nisibim obsidet in Mesopotamia dies 70. Iacobus Nisibenus Episcopus, eiusq; discipulus Ephrem, alijque pij liberationem vrbis obtinent non sine miraculo. *Hier. Theod. l. 2. c. 30.*

*Anno Dn.* 339. *V. C.* 1092. *Constantij* 3. *Solis* 12. *G. Lunæ* 17. *Epactæ* 3. *Indict.* 12. *Constantio Augusto, Constante Augusto Coss.*

Cùm Athanasius à Synodo Tyriâ damnatus, sine Synodo restitutus munus capesseret, ab Eusebianis vbique diffamatur, etiam Romæ: quin & vtraque pars Iulio defert arbitrium, ac rogat vt ab eo quàm primùm conuocetur Synodus, in qua rursus Athanasij causa ventiletur. *Athanasius Apologia* 2. Imppp. iubent adulteros vt nuptiarum sacrilegos capite plecti. *C. Th. l.* 11. *c.* 36. §. 4. vetant Christianas Iudæis nubere. *C. Th. l.* 16. *t.* 6. §. 6. vetant ne quis fratris sororisve filiam vxorem ducat. *C. Th. l.* 3. *t.* 12. §. 1.

*A. D.* 340. *V. C.* 1093. *Constantij* 4. *Solis* 13. *F. E. Lunę* 18. *Epact.* 14. *Indict.* 13. *Fl. Septimio Acyndino, L. Aradio Rufino Valerio Proculo Coss.*

Iulius pro potestate sibi tam ab Eusebianis quàm ab Athanasianis datâ, Synodum indicit Romæ, diemque dicit, quo pars vtraq; conueniat: diem, inquam, vtrique parti dicit, ex prouincialis Synodi sententiâ. Athanasius adfuit, & accusatores suos Romæ sesquiannum expectauit. Eusebiani detrectarunt. *Athanasius Apologia* 2. Eusebius Cæsariensis paulò ante Constantinum II. obit, non tantùm de historiâ, sed etiam de fide optimè meritus, vt qui Marcellum Samosatenum omnium solidissimè refutarit, & eâdem operâ diuinitatem Christi constanter asseruerit, vt luculenter ex eius scriptis probant Socrates lib. 2. cap. 4. & Theodoret. aduersus illius obtrectatores. Constantinus II. cùm in fratris Cōstantis ditionem inuaderet, à militibus eius occiditur. Alexandro Constantinopoli substituitur ab orthodoxis Paulus, ab Arianis Macedonius, à Constantio verò Nicomediensis Eusebius, qui sycophantas subornat aduersus Eustathium Antiochenum. *Socrat. l.* 2. *c.* 5. 6.

*A. D.* 341. *V. C.* 1094. *Constantij* 5. *Solis* 14. *D. Lunę* 19. *Epact.* 25. *Indict.* 14. *Olymp.* 280. *Fl. Antonio Marcellino, Cælio Probino Coss.*

Eusebianis, ne Romam irent, speciosus oblatus est prætextus, eundum videlicet ad Synodum Antiochenam, quæ conuocabatur ob aurei Dominici encænia. Aderant Episcopi ferè centum. Aderat & Constantius. Eò citatus Athanasius ire noluit, prætexens aliquot ibi Arianos esse. Iulius 36. numerat. Ita vadimonium pars vtraque deseruit. Athanasius vt contumax, vt multorum tumultuum author damnatur, eique substituitur Gregorius. Quatuor fidei symbola condunt Antiocheni, tum canones. Symbola repudiata sunt, canones retenti. Athanasius Alexandriam redit, tentaturus posset-ne aditu prohibere Gregorium, an Georgium riualem suum.

*A. D.* 342. *V. C.* 1095. *Constantij* 6. *Solis* 15. *C. Lunę* 1. *Epact.* 7. *Indict.* 15. *Constantio Augusto III. Constante Augusto II. Coss.*

Gregorius Alexandriam delatus ab Arianis lubenter excipitur, ab orthodoxis contra magno conatu reijcitur. Sed Gregorium firmabant Antioche-

norum literæ, Constantij mandata, Augustalis præfecti satellitium. Vtrimque patrantur indigna nomine Christiano, imprimis autem à Gregorianis, sub ipsum Pascha, quod tum incidit in Aprilis 11. Eo die Athanasius rursus cedere, rursus Romam secedere cogitur, ibique scribit ad orthodoxos aliquantò ante Nicomediensis Eusebij mortem, quæ contigit hoc anno. Hoc alastore sublato, non continuò redijt pax. Restituunt enim Ariani Macedonium, orthodoxi Paulum. Hermogenes Constantij iussu Paulum abigit. Populus Hermogenem occidit, ædes eius incendit. Accurrit Antiochiâ Constantius, & Constantinopolitanos mulctat, subductâ frumentationis solitæ dimidiâ parte. In Occidente Constans Francos tumultuantes comprimit. *Socrates l.2.c.11.12.13. Sozom. l.3.c.7.*

---

*Anno Dn.* 343. *V. C.* 1096. *Constantij* 7. *Solis* 16. B. *Lunæ* 2. *Epactæ* 18. *Indict.* 1. *Furio Placido, Fl. Pisidio Romulo Coss.*

Paulus Eremitarum primus 113. annos natus, ab Antonio nonagenario visitatur & paulò post moritur, vt Hieronymus docet in vita Pauli. Constantius vetat clericos eorumve mancipia nouis collationibus obligari. *C. Th. lib.* 16. *tit.* 2. §. 6.

---

*Anno Dn.* 344. *V. C.* 1097. *Constantij* 8. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 3. *Epact.* 29. *Indict.* 2. *Salustio Autore & Leontio Coss.*

Antiochiæ cogitur Synodus ex toto propemodum Oriente triennnio post eam quæ quatuor symbola condiderat, editque nouum rursus symbolum, idq; prolixissimum, eoq; μακρόστιχον dictum, quod in Occidentem cùm fuisset missum, Occidentales non admiserunt, διὰ τὸ ἀλλόγλωσσον εἶναι, propter linguæ peregrinitationem, dicentes sibi sufficere symbolum Nicenum. *Athanas. de Synodis. Socrat. lib.* 2. *cap.* 19. *Sozomen. lib.* 3. *cap.* 10. Ita non dignatus Iulius inquirere, quænam esset hæresis Marcelli, non dubitauit eum, non minùs quàm Athanasium, propugnare. *Basilius epist.* 10. 52.

---

*Anno Dn.* 345. *V. C.* 1098. *Constantij* 9. *Solis* 18. *F. Lunæ* 4. *Epact.* 10. *Indict.* 3. *Olymp.* 281. *Amantio & Ceionio Rufino Albino Coss.*

Constantius hunc Arianismi sui fructum percipit, quod à Persis multa grauiaque perpetitur, obsessis vrbibus, cæsis exercitibus, nullumque ei contra Saporem Persarum regem prosperum prœlium fuit. *Eutrop. lib.* 10.

---

*Anno Dn.* 346. *V. C.* 1099. *Constantij* 10. *Solis* 19. *E. Lunæ* 5. *Epact.* 21. *Indict.* 4. *Constantio August. IV. Constante Aug. III. Coss.*

Athanasius triennium Romæ commoratus, à Iulio subleuari nullo modo poterat. Anno quarto Mediolanum arcessitur à Constante. Aderat Hosius Constanti suadens vt à Constantio Synodum œcumenicam impetraret. Indicitur ab Impp. Synodus in annum sequentem Sardicæ. *Athanas. ad Constantium.* Agrippinæ coloniæ conuocatur IV. Idus Maij Synodus aduersus Euphratem Agrippinensem Episcopum, quod cum Photino Marcelloque diui-

uam Christi naturam funditùs euerteret. Exautoratur igitur omnium suffragijs Athanasio præsente. *Concil.tom.* 1. Impp. iubent occludi quidem templa paganorum intra muros vrbium sita, intacta verò seruari templa extra muros vrbium sita. *C.Th.l.16.t.8.S.3.4.* Hinc est quod anno sequente non celebrati sunt centenarij ludi seculares.

---

*Anno Dn.* 347. *V.C.* 1100. *Constantij* 11. *Solis* 20. *D. Lunæ* 6. *Epact.* 2. *Indict.* 5. *Fl. Eusebio, Fl. Rufino Coss.*

Sardicensem Synodum œcumenicam cùm dicit Baronius, euertit ea quę cum socijs aliàs congerit, ad asserendam generalium conciliorum ἀναμαρτησίαν. Fuit certè magna Synodus illa, nec œcumenicæ titulum illi pius quisquam negasset, si fuisset concors & orthodoxa. Cùm autem in duas partes discissa fuerit, & multos impios, hæreticos multos propugnauerit, multos insontes damnauerit vtraque pars, plerique pij per multa secula ne synodi quidem nomine dignati sunt eam, sed vtriusq; partis acta pro nullis habuerunt.

---

*Anno Dn.* 348. *V.C.* 1101. *Constantij* 12. *Solis* 21. *C.B. Lunę* 7. *Epact.* 13. *Indict.* 6. *Fl. Philippo, Fl. Salleâ Coss.*

Vt Constantinus Donatistas auctoritate sua compescens à pijs omnibus fuerat laudatus, sic Cōstantius officij sui putabat esse prospicere, non quid à fraternæ, sed quid à suæ ditionis Episcopis fuisset constitutum, ac id per suos Magistratus effectum dare. Constans verò cùm sibi persuaderet, si non alijs, saltem Athanasio Pauloque factam iniuriam, exemplo tam pernicioso quàm nouo, fratri iubet vt sedes illis ablatas restituat, *Sin minùs*, inquit, *proficiscar istuc, & proprias sedes illis te inuito restituam.* Commodùm accidit vt moreretur Gregorius, qui fuerat Athanasio substitutus. Igitur Constantius à suis Episcopis monitus præstare vt leges Ecclesiasticæ violentur, quàm vt pax publica turbetur, permittit vt ad suas sedes redeant Athanasius & Paulus. *Socrat. lib. 2. cap. 22. Athanas. ad solitar.* Photinus Sirmiensis Episcopus vt Marcelli pestifero dogmate imbutus, in Synodo Mediolanensi damnatur, solido biennio & mensibus aliquot ante Sirmiensem habitam A. D. 351. *Hilarij fragmenta.*

---

*A. D.* 349. *V. C.* 1102. *Constantij* 13. *Solis* 22. *A. Lunę* 8. *Epact.* 24. *Indict.* 7. *Olymp.* 282. *Acone Pabio Catullino Philoniano, Vlpio Linenio Coss.*

Constantius clericos eorumque filios curialibus muneribus atque omni inquietudine ciuilium functionum exsortes esse iubet. *C.Th.l.16.t.2.S.9.* Athanasius tribus honestis literis accersitus à Constantio, Romam petit, dein Antiochiam, vbi benignè à Constantio exceptus rogatur, vt saltem vnam Ecclesiam largiatur ijs, qui communionem eius auersabantur. Annuit Athanasius, modo vicissim vnam vbique largiatur Ecclesiam ijs, qui communionem auersabantur Arianorum. Hoc responso grauiter offensus Constantius, nihilominus diplomatis idoneis eum instruit quibus illi pateat in Ægyptum reditus. Offendit etiam Constantium Athanasius, quod etiam extra suam diœcesim passim ordinationes faciebat, maximè cùm

cùm ipse rogarit Hierosolymitanum Episcopum vt Synodum conuocaret, in qua posset absolui, sentiens videlicet Sardicensis Synodi vtramque partem haberi pro nulla. *Athanas. Apolog.* 2.

---

*Anno Dn.* 350. *V. C.* 1103. *Constantij* 14. *Solis* 23. *G. Lunę* 9. *Epactæ* 5. *Indict.* 8. *Sergio & Nigriano Coss.*

Constans nuper fratri Constantio bellum comminatus, & prouinciarum rectores, non iudicio, sed pretio prouehere solitus, à Magnentio, quem immerentem prouexerat, imperio vitaq; spoliatur in Pirenæis montibus. Imperium Occidentis inuadunt in Gallia Magnentius, Sirmij Vetranio, Romæ Nepotianus, duodetrigesimo post die iugulatus. *Victor. Socrat. lib.* 2. *cap.* 28.

---

*Anno Dn.* 351. *V. C.* 1104. *Constantij* 15. *Solis* 24. *F. Lunę* 10. *Epact.* 16. *Indict.* 9. *Post Consulatum Sergij & Nigriani.*

Cùm Gallias obtineret Magnentius, Pannonias Vetranio, bellici motus obstiterunt, quò minùs Consules crearentur. Constantius patris exemplo baptismum in vltimum diem differt, vult tamen baptizari milites, quos aduersus Vetranionem & Magnentium ducebat. Inter cęteros baptisatus est Martinus, annos 35. natus. *Theodoret. l.* 3. *c.* 3. *Gregor. Turonens. l.* 1. *c.* 36. Vetranio statim manus dedit, impunitatis spe proposita. Quia verò firmior videbatur Magnentius, Constantius firmandæ potentiæ patruelem suum Gallum Cęsarem creat. *Sozomen. l.* 5. *c.* 18. *Zozimus.* Vrsacius, Valens, alijque principes Arianorum Iulium adeunt, Arium damnant, Athanasium purgant, Iulium rogant vt eum citet, scientes videlicet futurum vt huic consilio Roma libentissimè pateret, Athanasius autem huic imperio non obsequeretur, ac ita fieret odiosus etiam Romanæ sedi. Cumq; Photinus ante triennium Mediolanensis Synodi decreto non acquiesceret, rursus damnatur in concilio Sirmiensi. *Hilarij fragmenta.* Sirmium conuocauit Patres Constantius, tum quod ipse Sirmij tum ageret, expectans exitum belli Magnentiani, tum quod Photinus Sirmiensis esset Episcopus. Sirmienses symbolum condunt, quod refertur ab Athanasio pag. 693. ab Hilario col. 338.

---

*Anno Dn.* 352. *V. C.* 1105. *Constantij* 16. *Solis* 25. *E. D. Lunę* 11. *Epact.* 27. *Indict.* 10. *Constantio August. V. Constantio Gallo Cæs. Coss.*

Iulium, antequam Arianorum obsequeretur consilio, mors pręuenit. Successor eius Liberius nihil moratus id, vt ad sedis suæ potentiam pertinens, lubens exequitur. Athanasium ad se venire iubet, & anathema minatur, nisi pareat. Imperium hoc illegitimum & noui discriminis aleam meritò detrectantem Athanasium anathemate ferit Liberius, & Arianis ac sibi gratulatur hoc nomine. Id rescientes Ægyptij, cogunt Episcoporum octoginta Synodum, in qua constanter Athanasium propugnant, ac in sede sua confirmant. Ex illo Liberium puduit suæ præcipitis in Athanasium sententiæ. *Hilarij fragmenta. Epistol. Liberij. Biblioth. patrum tom.* 3. *col.* 125.



*A. D.* 353. *V. C.* 1106. *Constantij* 17. *Solis* 26. *C. Lunæ* 12. *Epact.* 8. *Indict* 11 *Olymp.* 283. *Constãtio Augusti VI. Constãtio Gallo Cæs. II. Coss.*

Magnentius, qui primus Christianum nomen parricidij fœdauit infamiâ, apud Mursum victus, eò desperationis venit, vt matrem, fratrem, & semetipsum occideret Lugduni circa Idus Augusti. Hac victoriâ elatus Constantius, licentiùs deinceps in Orthodoxos grassatus est. Conuocat igitur vndique Episcopos ad Synodum Atelatensem. Eò venit etiam Liberij legatus Vincentius Capuanus. Is cum reliquis plerisque subscripsit Athanasij condemnationi, quasi per contumaciam absentis. Factum hoc acriter detestante Lucifero Calaritano: Liberius quoq; sibi dixit improbari, idq; testatus est scriptis ad Hosium Cordubensem literis. Rabba tam Suranæ quàm Pombaditanæ scholæ doctor moritur, eiq; succedit Nachman Isaaci filius. *Zacut fol.* 20.

*Anno Dn.* 354. *V. C.* 1107 *Constantij* 18. *Solis* 27. B. *Lunæ* 13. *Epact.* 19. *Indict.* 12. *Constantio Aug. VII. Gallo Cæs. III. Coss.*

Iulius Firmicus Maternus suos astronomicarum rerum libros octo Lolliano Consuli designato dedicat. Augustinus nascitur Idibus Nouembris, vt ipse profitetur de vita beata cap. 2. Gallus affectatæ tyrannidis reus aut suspectus occiditur iussu Constantij. *Socrat. lib.* 2. *cap.* 34.

*Anno Dn.* 355. *V. C.* [illegible] *Constantij* 19. *Solis* 28. *A. Luna* [illegible] *Epact.* 0. *Indict.* 13. *Fl. Arb*[illegible] *Mauortio Lolliano Coss.*

Iulianus post Galli fratris necem à patruele suo Constantio Cæsar pronunciatur Nouembr. 6. *Socrat. l.* 2. *cap.* 34. Turbulentissima Synodus habetur Mediolani Constantij iussu. Erat hæc Episcoporum 300. Ij damnant Eusebium Vercellensem, Paulinum Treuerensem, Luciferum Calaritanum, Dionysium Mediolanensem, Liberium Romanum, & alios. Neve Synodi decretis obsisterent, Constantius eos in exilium mittit. Substituuntur Dionysio quidem Auxentius, Liberio Felix. *Socrat. l.* 2. *cap.* 36. *Theodoret. l.* 2. *c.* 17. Hos Arianos fuisse quis dubitet, cùm hæc ab Arianis procurarentur? Syrianus Alexandriam aduectus, nocte quæ intercessit inter Mechir 14. & 15. Februarij 7. & 8. feriam 5. & 6. Dominicum ingreditur, vt Athanasium post synaxim comprehendat. Ille furtim elabitur cum populo. Huic substitutus Georgius horrenda patrat in Orthodoxos. *Athanas. post. epist. ad solitarios, & de fuga sua. Socrat. l.* 2. *c.* 28.

*Anno Dn.* 356. *V. C.* 1109. *Constantij* 20. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 15. *Epact.* 11. *Indict.* 14. *Constantio Aug. VIII. Fl. Claudio Iuliano Cæs. Coss.*

Quantumuis idolis & magis addictus esset Iulianus, quia tamen Christianum mentiebatur, neque potuit, nec ausus est obstare, quo minus tam suo, quàm Constantij nomine ferrentur leges vetantes ne quis operam det sacrificijs, si-

mulachra colat, haruspices consulat, aut id genus hariolos. *C.Th.l.16.t.8.§.6. & l. 9.t.16.§.4.5.* Hilarius Biterrensi in Narbonnensi Gallia Synodo libellum offert aduersus Arianos, ideoque iubetur in Phrygiam exulare, vt ipse docet col. 286.

---

*A.D.357. V.C.1110. Constantij 21. Solis 2. E. Lunæ 16. Epact. 22. Indict. 15. Olymp. 284. Constantio Aug. IX. Iuliano Cæs. II. Coss.*

Impp. à collationis beneficio, cui negotiatores omnes obstringebantur, excipiunt clericos copiatas, h. e. libitinarios, vespillones, pollinctores. *C. Th.l.1.t.1.§.1.* Sirmiensis Synodus secunda secundum fidei symbolum condit, quod refertur ab Athanasio p. 695. ab Hilario col. 323. deterius eo quod condiderant A. D. 351. Tertium symbolum condiderunt A. D. 359. Felix E. R. cùm videret se tam exosum esse Arianismi nomine, vt cum eo Romæ nemo communicaret, vt populum sibi conciliet, anathema torquet in Arianos. Tum verò Liberius exclusus Episcopatus recuperandi spe literis adulatorijs Arianos demulcet, filios pacis vocat, Athanasium damnat, eorum symbolo, quod videlicet hoc anno Sirmij condiderant, subscribit, Episcopatum eorum operâ recuperat, Felicem extrudit, & inediâ mori cogit. Quam ob causam eum Hilarius acriter sugillat, & anathemate percellit. Felix habetur pro martyre. *Hilarij fragmenta. Martyrolog. Rom. Iulij 29. Athanas. ad solitarios. Damian. Henrico.* Primus Liberium solicitauit, fregit, & ad hæreseos subscriptionem compulit Fortunatianus, inquit Hieronymus *de script. Ecclesiast.*

---

*A.D.358. V.C.1111. Constantij 22. Solis 3. D. Lunæ 17. Epact. 3. Indict. 1. Ti. Fabio Datiano, Neratio Cereale Coss.*

Hillel II. Iudæ (de quo diximus A.D. 315.) filius, computum, quo Iudæi nunc vtuntur, condit. *Abrahami Cabbala.* Condit, inquam, superstructum fundamentis ab Hillele I. tritauo suo positis, quem obijsse diximus A. D. 10. Quippe fundamenti loco statuit vernum æquinoctium Martij 23. conuenire. Id verum erat Hillelis primi, non secundi seculo. Terræ motus Nicomediam euertit, IX. Kalend. Septembr. ἐ σωαξίμου ἡμέρας. *Sozomen. lib. 4. cap. 16.* Contigit videlicet id feriâ secundâ. Quamobrem quam Orientalium Synodum Nicomediæ indixerat Constantius, postea indixit Niceæ, dein Ancyræ, postremò Seleuciæ. Dum Ancyram ibant Episcopi, suum de Synodis librum scribit Hilarius in Phrygiâ, tantam rerum corruptelam esse lugens, vt in decem Asiæ prouincijs vix vllus sit Episcopus qui Deum norit. Antonius cœnobiticæ vitæ parens obit. *Hieronymus.*

---

*Anno Dn. 359. V.C. 1112. Constantij 23. Solis 4. C. Lunæ 18. Epactæ 14. Indict. 2. Eusebio & Hypatio Coss.*

Sirmij conditur tertium symbolum XI. Kalend. Iunias, post multas disceptationes easque productas vsque ad noctem illucescentis Pentecostes. Hęc inter paucos præsente Constantio, qui sexto post die mittit symbolum illud cum literis ad Episcopos sexcentos, quos Arimini congregauerat. Misit quoque proculdubio ad eos quos Se-

L ij

leuciæ conuocauerat. Arimini prima sessio contigit XII. Kalend. Augusti. Et primò quidem fortiter pugnarunt Ariminenses pro Nicena fide, mox ea, inquit Hieronymus, *omnium proditione damnata est. Ingemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est.* Quippe nihilo meliora sancita sunt à Seleuciensibus Septembr. 27. nec à Constantinopolitanis VI. Idus Octobr. vel Nouembris. Arianorum strophis qui assentiri noluerunt, in exilium missi sunt.

*Anno Dn.* 360. *V. C.* 1113. *Constantij* 24. *Solis* 5. B. *A. Lunæ* 19. *Epact.* 25. *Indict.* 3. *Constantio August. X. Iuliano Cæsare Coss.*

Constantinopoli rursus congregantur Episcopi multi Februar. XV. ad encænia Constantinopolitanæ basilicæ celebranda. *Socrat. l. 2. c. 43. Sozom. l. 4. c.* 24. Constantius videlicet Ecclesiæ fundamenta conuellens, parietes picturis adornabat. *Basil. epist.* 29. Constantius militibus easdem immunitates largitur, quas A. D. 357. clericis copiatis. *C. Th. l. 13. t. 1. §. 2.*

*A. D.* 361. *V. C.* 1114. *Constantij* 25. *Solis* 6. G. *Luna* 1. *Epact.* 7. *Indict.* 4. *Olymp.* 285. *Fl. Tauro & Fl. Florentio Coss.*

Hilarius suum in Constantium librum scribit acerbissimè. Is in Persas expeditionem parans, audit Iulianum imperium inuasisse. Regreditur ergo, Tarsumque petens, morbo corripitur in vicino Mopsiviculo, baptizatur ab Euzoio Ariano, moritur III. Non. Octobr. vel Nouemb. Ita perinuitus hosti suo Iuliano relinquit imperium. Is hactenus fidem in Christum mentitus, palam eam abnegat, sciens videlicet se paganis quidem futurum eo nomine gratissimum, Christianos autem propterea nihil aduersus se tentaturos. *Amman. l. 21 Socrat. l. 2. c. vlt.*

*Anno Dn.* 362. *V. C.* 1115. *Iuliani* 1. *Solis* 7. *F. Lunæ* 2. *Epact.* 18. *Indict.* 5. *Fl. Mamertino, Fl. Neuila Coss.*

Iulianus obtentu clementiæ cupiens rixas inter Christianos serere, exulibus omnibus ad suos redeundi potestatem facit, tam Donatistis, quàm orthodoxis, alijsve. Reuersus post sexcênium Alexandriam Athanasius, cōperit Georgium ab Ethnicis laceratum. Synodo conuocata, veniam omnibus, qui modo culpam agnouerint, dādam censet. Idem & Hilarius in Galliâ. Lucifer Calaritanus nimiam esse clemētiam hanc ratus, schisma grauissimum format, abomnium ferè communione abstinens & Antiochiæ Paulinum dans Episcopum, cùm iam haberent Ariani quidem Euzoium, Orthodoxi verò Meletium. *Rufin. l. 1. c. 27. Hieron. aduers. Lucifer. Seuer. Sulpitius.* Iulianus odio Christianorum instaurare conatur Hierosolymitanum templum. Opus disturbatur igne diuinitus in opifices misso. *Ambrosius epist. 29. Chrysost. in Matth. hom. 4.*

*A. D.* 363. *V. C.* 1116. *Iouiniani* 1. *Solis* 8. *E. Lunæ* 3 *Epact.* 29. *Indict.* 6. *Iuliano Augusto IV. Secundo Salustio Coss.*

Iulianus in agro Persico sagitta transfoditur VI. Kalend. Iulias. Quamuis autem exercitus longè maxima pars esset ethnica; tantus tamen fuit exercitus in hostico pauor, vt elegerit eum, quem

fortissimum putabat, nempe Iouinianum, quantumuis Christianum & Orthodoxum. Huic fucum faciunt Antiochiæ Ariani. *Socrat.l.3.c.21.* Laodicena Synodus videtur hoc anno habita.

---

*Anno Dn.* 364. *V.C.* 1117. *Valentiniani* 1. *Solis* 9. *D.C. Lunę* 4. *Epact.* 10. *Indict* 7. *Fl. Iouiniano Augusto, Fl. Varroniano Coss.*

Iouinianus odore prunarum suffocatur Februarij 17. Dodastanæ. Huic Niceæ substitutus est Valentinianus. *Hieronym. Chron. & epist.* 3. *Socrat. l.3.c. vlt. & l.4.c.1.* Aberat Valentinianus, sed Ancyrâ Niceam arcessitus, aduenit Februarij 23. noluit die bissextili velut infausto coronari, sed quinto Kalend. Mart. decimo die post obitum Iouiniani. Kalend. Aprilis fratrem Valentem imperij consortem pronuntiat. *Ammianus lib. 26.* Huic anno conuenit 39. Paschalis epistola Athanasij, cui Synodi decretum insertum, quo pleniùs illustratur controuersia de libris canonicis, quam Synodus Laodicena breuiùs perstrinxerat. Vtraque Synodum Nicenam cùm maximi faceret, certum est eas aduersus Nicenam nihil constituisse.

---

*A D.* 365. *V.C.* 1118. *Valentiniani* 2 *Solis* 10. *B. Lunæ* 5. *Epact.* 21. *Indict.* 8. *Olymp.* 286. *Fl. Valentiniano Aug. Fl. Valente Aug. Coss.*

Lampsacena Synodus ita Filij diuinitatem confirmat, vt eam imprudens forsan Spiritui sancto ereptum eat. *Socrat. l.4.c.4. Sozom.l.6.c.7.* Impp. è suis latebris erui iubent eos qui desertis ciuitatum muneribus captabant solitudines. *C.Th.l.12.t.1.S.63.* Ingentes terræ motus terrarum orbem labefactant. *Hieronym. Ammian. lib. 26.* Id in infantiâ suâ contigisse refert Hieronymus in Esaïam cap. 15. Tamen hoc anno vix minor esse poterat annorum viginti. Liberij communionem adhuc auersabantur quidam, ob ea quæ patrauerat A.D. 357. Sed cùm sub Iuliano liceret Arianos impunè damnare, non dubium quin eos damnauerit Liberius, vt cum suo grege conciliaretur. Hanc ob causam Orientales Orthodoxi monent apud Socratem lib. 4. cap. 11. legatos suos ne de fide disceptarent aduersus Liberium, idque prudenter: at id malè, quod legatis suis accensuerint Eustathium Sebastenum hominem versipellem & malæ fidei, qui Liberio, quod in illo fuit, os obleuit.

---

*A. D.* 366. *V.C.* 1119. *Valentiniani* 3. *Solis* 11. *A. Lunæ* 6. *Epact.* 2. *Indict.* 9. *Fl. Gratiano puero Nobil. Fl. Dagalaipho Coss.*

Procopius & Marcellus tyrannidem affectantes occiduntur in Oriente. Valens Gothos, quod Procopio fauissent, aggressurus, baptismum, quem hactenus antecessorum exemplo distulerat, accipit ab Eudoxio Ariano, neq; multò post in Pannonia Singedini Synodum conuocat, cui satis fuit Filium Patri similem dicere. *Ammian. lib. 26. & 27. Socrat. lib. 4. cap. 5.* Aduersus Singedinensem Synodum conuocatæ Smyrnensis & Lampsacena legatos ad Occidentales mittunt, vt ab ijs aduersus Arianos iuuentur. *Socrat. lib. 4. cap. 11.* Nullibi verò plus fauoris inuenerunt quàm in Illyrico, vbi Synodus à Valentiniano conuocata decreuit mittendos vicissim Imperatorum & suo nomine legatos ad Orientales, vt inuicem in-

Orthodoxa fide firmarentur. *Theodoretus lib.4.cap.8.9.*

---

*Anno Dn.367. V.C.1120. Valentiniani 4. Solis 12. G. Lunæ 7. Epact.13. Indict.10. Fl. Lupicino, Fl. Iouino Coss.*

Impp. iubent claustra dissolui circa Pascha reis omnibus quos carcer inclusit, præter homicidas, adulteros, raptores, III. Non. Maij. *C.Th.l.9.t.38.§.3.* vetant à carcere quenquam in harenam trahi supplicij causa. *C.Th.lib.9.t.20.§.11.* Liberius E. R. Ecclesiæ suæ pridem reconciliatus obit. Ei substituitur, primò Damasus, dein Vrsicinus. Pugnatum tanta contentione, vt multi fuerint in Ecclesia iugulati. Vincit Damasus. Vrsicinus Neapolim ablegatus, non cessat in Damasum tumultuari, teste Damaso Portuensi & Ammiano lib.27. In Oriente Valens Imperator Arianus Orthodoxis infensus ac sæuus erat. Gratianus à patre Valentiniano ad imperij consortium assumitur puer, Aug. 24. Valente non improbante, quod filios nullos haberet, sed tantùm filias duas. *Socrat.l.4.c.10.*

---

*A. D. 368. V.C. 1121. Valentiniani 5. Solis 13. F. E. Lunæ 8. Epact. 24. Indict. 11. Fl. Valentiniano Aug. II. Fl. Valente Aug. II. Coss.*

Valentis & Arianorum in Orthodoxos sæuitiam punit Deus, immisso terræ motu, qui Nicæam opprimit. *Socrates lib.4.cap.10.* Cæsarius in ea non quidem obrutus ruina, sed paulò post morbo consumptus est, vt in eius funere testatur frater Gregorius Nazianzenus. Romæ Prætextatus Præfectus Vrbi, quantumuis Ethnicus, sedulò dat operam vt componat tumultus ab Vrsicino Damasoque concitatos. *Ammianus lib. 27.* Vrsicinianos aliquot in exilium miserat, Valentinianus mandat satis esse, si prohibeantur omnes Vrsiciniani ab Vrbis ingressu. Carthagine Donato substituitur Parmenianus, aduersus quem scripsit Optatus Mileuitanus, hoc ipso vel circiter anno.

---

*A.D.369. V.C. 1122. Valentiniani 6. Solis 14. D. Luna 9. Epacta 5. Indict. 12. Olymp. 287. Iul. Felice Valentiniano puero, Sex. Aurelio Victore Coss.*

Cùm Vrsicini pars mallet in cryptis suas synaxes habere quàm cum Damaso communicare, Valentinianus iubet Vrsicinianos vltra vicesimum ab Vrbe lapidem submoueri. Mediolani compellitur Auxentius Arianus ab Hilario Pictauiensi confiteri Christum eiusdem esse cum Patre diuinitatis & substantiæ: sed simulatè tamen. Acta sunt hæc decennio post Synodum Ariminensem. *Hilarius aduersus Auxentium.* Videtur autem Hilarius haud multò post obijsse. In Cappadocia Cæsareæ moritur Eusebius, eique succedit Basilius Iunij XIV. *Martyrologia.* Iunij XIV. in feriam primam incidit hoc anno.

---

*A.D.370. V.C. 1123 Valentiniani 7. Solis 15. C Lunæ 10. Epacta 16. Indict. 13. Fl. Valentiniano Aug. III. Fl. Valente Aug. III. Coss.*

Constantinopoli moritur Eudoxius Episcopus, eiq; substituitur ab Arianis Demophilus, ab Orthodoxis Euagrius.

*Socrat.l.4.c.*14. Basilius ep.68. Orientalium nomine subsidium Occidẽtalium implorat, imprimis Gallorum & Italorum. Idemque paulò post epistol.77. scribit maritimis Episcopis. Nihil erat iustius quàm vt Occidentales coniunctim orarent Valentinianum, vt Valentem fratrem Orthodoxis mitiorem redderet. Sed Damasus veritus ne si Valentem offenderet, Vrsicinum aduersus se propugnaret, dabat operam vt in fumum abirent Orientalium querimoniæ.

*A. D.* 371. *V. C.* 1124. *Valentiniani* 8. *Solis* 16. *B. Lunæ* 11. *Epact.* 27. *Indict.* 14. *Gratiano Aug. II. Sex. Anicio Probo Coss.*

Imppp. permittunt Ethnicis vsum innoxium haruspicinæ, ac vnicuique facultatem colendi quod animo libuerit. *C.Th.l.9.t.16.§.9.* Vrsicinum in Galliam relegatum Impp. patiuntur in Italiam redire, modo ne pedem inferat in suburbicarias regiones, vt docet Baronius ex codice Vaticano. Basilius epistolâ 70. rursus Occidentalium, ac Damasi potissimùm opem implorat, vt Valentiniano significetur Oriẽtalium vexatio, aut quauis alia ratione calamitatibus Orientis prospiciatur. Damasus tam surdus perseuerat quàm pridem. Hieronymus cùm aliquandiu Damaso fuisset ab epistolis, secedit in eremum inter Syriam & Sarracenos sitam tædio scilicet vitiorum, quibus laborare videbat tam Occidentem quàm Orientem, Romam imprimis. Eò delatus, Heliodorum, vt ad se veniat, inuitat epist. 1.



*A. D.* 372. *V. C.* 1125. *Valentiniani* 9. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 12. *Epact.* 8. *Indict.* 15. *Fl. Modesto, Fl. Arintheo Coss.*

De bibliothecis construendis & instaurandis cogitat Valens. *C.Th.l.14.t.* 9.§.2. Cùm Eusebius Samosatorum Episcopus censeret quartam Occidentem versus mittẽdam esse legationem, dissuadet Basilius epist. 10. *Noli supplicare*, inquit, *superbus est enim*. Damasum à Basilio designari non est dubium. Iam quia Paulinus Antiochenus aduersus Meletium ordinatus fuerat à Lucifero Calaritano, Damasus quoque Paulino potiùs quàm Meletio fauebat. Erat autem impurior Paulini doctrina, quàm putarat Lucifer. Ideo Basilius ait ibid. *Vt olim hæreticum ac impium Marcellum aduersus orthodoxos propugnarunt,* A. D. 344. & deinceps, *sic nunc quoque veritatem ne dignantur quidem inquirere: hæresi verò suppetias ferunt.* Vnam secundum Deum spem ponebat Basilius in Athanasio epist.48. & 52. qui fortè præstitisset aliquid, si diutiùs vixisset. Sed hoc ipso mortuus est anno, cùm rexisset Alexandrinam Ecclesiam annos 46. In Paulino verò damnat Basilius tum vitiosam ordinationem, tum communionem cum impurissimo Marcello. Cæterùm Athanasio substituitur ab Orthodoxis Petrus, ab Arianis Lucius, qui Petrum procul fugere coegit. Is Romam se recepit. *Socrat. lib.* 4. *cap.* 20. *Rufinus lib.* 2. *cap.* 3.

*A. D.* 373. *V. C.* 1126. *Valentiniani* 10. *Solis* 18. *F Lunæ* 13. *Epact.* 19. *Indict.* 1. *Olymp.* 288. *Valentiniano Aug. IV. Valente Aug. IV. Coss.*

Hilarion octogenarius obit. *Hieron.* Gothi sedes occupāt in Thracia. *Claud.*

---

*A. D. 374. V. C. 1127. Valentiniani 11. Solis 19. E. Lunæ 14. Epactæ 0. Indict. 2. Gratiano Aug. III. Fl. Equitio Coss.*

Auxentius Arianus Mediolanensium Episcopus obit. In eius locum populus eligit Ambrosium Insubriæ Præfectum catechumenum. Baptizatus est Nouembris vltimo, ordinatus Decembris septimo. *Hieronym. Ambrosij vita.* Vtraque dies in feriam primam incidit. Cùm Ethnici putarent sibi liberum esse liberos suos infantes necare, barbarum illum morem tollunt Imppp. *C. Th. l. 9. t. 14. §. 1.* Epiphanius inchoat suum aduersus hæreses ἀγκυρωτὸν siue πανάριον, his Coss. nonagesimo Diocletiani anno, Valentiniani decimo, exeunte videlicet.

---

*Anno Dn. 375. V. C. 1128. Valentiniani 12. Solis 20. D. Lunæ 15. Epact. 11. Indict. 3. Pontio Paulino Cos.*

Valentinianus Imperator obit XV. Kalend. Decemb. Sexto post die Valentinianus II. eius filius salutatur Imperator, Cerealis auunculi studio, non improbante fratre Gratiano. *Socrat. l. 4. c. 31. Ammian. l. 30.*

---

*A. D. 376. V. C. 1129. Valentiniani II. 1. Solis 21. C. B. Lunæ 16. Epact. 22. Indict. 4. Valente Aug. V. Valentiniano II. Aug. Coss.*

Imppp. Gratianus, Valentinianus & Valens causas Ecclesiasticas ita iubent expendi, vt leuiora delicta à suæ diœceseos Synodis audiantur, grauiora ab illustribus potestatibus. *C. Th. l. 16. t. 2. §. 23.* Ethnici suæ superstitionis monumenta, tolerantibus id Imppp. erigunt ac cōsecrant dijs magnis, matri Deûm, & Atthidi. *Gruterus p. 28.*

---

*A. D. 377. V. C. 1130. Valentiniani II. 2. Solis 22. A. Lunæ 17. Epact. 3. Indict. 5. Olymp. 289. Gratiano Aug. Fl. Merobaude Coss.*

Imppp. iubent clericos omnes esse personalium munerum expertes. *Cod. Th. l. 16. t. 2. §. 24.* Gothi ab Hunnis vexati, recipiuntur à Romanis: mox à Maximo Duce lacessiti, grauia Romanis inferunt damna, Deo sic vlciscente corruptelas morum & doctrinæ. *Hieronym. Oros. l. 7. c. 33. Ambros. Gratiano de fide l. 2. c. vlt. Ammian. l. 31.*

---

*A. D. 378. V. C. 1131. Valentiniani II. 3. Solis 23. G. Lunæ 18. Epact. 14. Indict. 6. Valente August. VI. Valentiniano Aug. III. Coss.*

S. Basilius obit Kalend. Ianuarij. S. Ephrem Kalend. Februarij. *Martyrol. Gregor. Nazianz. in funere Basilij.* Imperator Gratianus ad bellum profecturus Ambrosium rogat vt scribat de fide. Huic parens Ambrosius aduersus Arianos potissimum disputat. Valens Antiochia proficiscitur Maij 30. suum imperium aduersus Gothos propugnaturus. Hic discessus animos addidit Orthodoxis Antiochenis & Alexandrinis vt suos Episcopos auderent reuocare. Latuerat Petrus Episcopus Romæ, sexennium, ne verbulo quidem adiutus à Damaso, vt qui pro tot Ecclesijs tam indignè vexatis ne hiscere quidem auderet.

deret. Vbi verò vidit in Ægypto pios animum recipientes, tum demum gratulatorias ac commendatitias ad eos literas ausus est Petro dare. Valens cum Gothis dimicans, meritas impietatis suæ pœnas luit miserâ morte Augusti 9. Antiocheni Orthodoxi Gregorium Nazianzenum Constantinopolim mittunt, propugnaturum veritatem aduersus Arianos, à quibus statim initio lapidibus fuit exceptus. Ille tamen in statione constans permanet triennium, vt ipse docet in carmine, quod scripsit A. D. 381. Hieronymus ab Antiocheno Meletio rogatus fateri tres hypostases, abnuit: consulit Damasum per literas, ad Damasum ipsum redit.

---

*A. D. 379. V. C. 1132. Valentiniani II. 4. Solis 24. F. Lunæ 19. Epact. 25. Indict. 7. D. Ausonio Magno, Q. Clodio Hermogeniano Coss.*

Gratianus, licet puellam & fratrem Valentinianum haberet, tamen vt pluribus munimentis insisteret, Theodosium Hispanum imperij consortem assumit 33. annos natum, cùm ipse viginti, Valentinianus tredecim annos natus esset. *Oros. lib. 7. cap. 34.*

---

*A. D. 380. V. C. 1133. Valentiniani II. 5. Solis 25. E. D. Lunæ 1. Epact. 7. Indict. 8. Fl. Gratiano August. V. Fl. Theodosio Aug. Coss.*

Theodosius Thessalonicæ morbo correptus, baptismum petit ab Ascholio Episcopo. Sanatus, Constantinopolim venit Nouemb. 24. *Socrat. lib. 5. cap. 6.* Imppp. vetant baptizatos ad officia scœnica retrahi. *C. Th. lib. 15. tit. de scœnicis* §. 4.

---

*A. D. 381. V. C. 1134. Valentiniani II. 6. Solis 26. C. Lunæ 2. Epact. 18. Indict. 9. Olymp. 290. Fl. Siagrio, Fl. Annio Euchario Coss.*

Imppp. conuocant œcumenicum concilium Constantinopoli. *Socrat. lib. 5. cap. 8.* idque vt notant conciliorum collectores, ærâ CCCCXIX. eâ videlicet quæ dicitur Hispanica. Synodi præses initio fuit Gregorius Nazianzenus, quia tum Constantinopolis erat Episcopus. Firmata fides Nicena, tum aduersus Arianos, qui Filij, tum aduersus Macedonianos, qui Spiritus sancti diuinitatem negabant. Ecclesiasticam disciplinam quod attinet, sancitum vt *Constantinopoleos Episcopus obtineret τὰ πρεσβεῖα τῆς τιμῆς honoris primatum post Episcopum Romanum; vt quæ sit noua Roma.* Aliquantò post cùm Gregorius abdicasset ac secessisset à Synodo, Nectarius factus est Constantinopolis Episcopus & Synodi præses. Antiocheno quoque Meletio tum Constantinopoli defuncto, substitutus Flauianus aduersus Paulinum, vt schismaticum & hæreseos suspectum. Hieronymus Paulæ Romanæ filias, Blesyllam & Eustochium compellat ad vitam monasticam, quam iam ante biennium susceperat Paula: quam ob causam eas suas tyrunculas vocat tom. 4. epist. 53. Quarto post mense Blesylla moritur, magno matris desiderio, magna quoque multorum in vitam monasticam, quæ Romæ tum noua erat, indignatione. Hieronymus Paulam consolatur epist. 25. Eustochium epist. 22. tom. 1.

***A. D. 382. V. C. 1135. Valentiniani II. 7. Solis 27. B. Lunæ 3. Epact. 29. Indict. 10. Fl. Antonio, Fl. Siagrio II. Coss.***

Cùm Damasus rogaret vt etiam Romæ Synodus œcumenica haberetur, respondent Imppp. monentibus Orientis Episcopis, nec necessarium, nec vtile tot haberi Synodos œcumenicas tam breui spatio. Rogatus Gregorius Nazianzenus vt ad Synodum Constantinopolitanam redeat, negat id se facturum, quod nullius vnquam Synodi faustum viderit exitum. Damasum sub finem huius anni defunctum vult Marcellinus.

***A. D. 383. V. C. 1136. Valentiniani II. 8. Solis 28. A. Lunæ 4. Epact. 10. Indict. 11. Fl. Merobaude II. Fl. Saturnino Coss.***

Quum hactenus Imperatores semper dicti fuissent Pontifices Maximi, Gratianus hoc elogium vt ethnicum auersatus est. Hoc obtentu Pagani Maximum eligunt, qui nec Pontificis Maximi titulum, nec parricidium recusaret, occiso Gratiano Lugduni Augusti 25. Theodosius Arcadium filium suum vix octennem Imperatorem salutat. Priscillianus hæreseos infamis accusatur apud Maximum Imperatorem ab Ithacio. Primus Maximus hæresin capite plectendam censuit, plurimùm id improbante Martino, Ambrosio, alijsq; pijs eius seculi viris, quin & Augustino. *Seuer. Sulpit. Ambros. epist. 27. August. in Cresc. l. 3. c. 50.* Hieronymus paulò post obitum Damasi Româ relictâ, Iudæam petens, nauim conscendens, sic Asellæ scribit tom. 3. epist. 62. *Ora vt de Babylone Hierosolyma regrediar.* Egressus Augusto mense visitat Epiphanium in Cypro, Paulinum Antiochiæ, hyeme media peruenit Hierosolyma. *Hieronym. in Rufinum lib. 3.*

***A. D. 384. V. C. 1137. Valentiniani II. 9. Solis 1. G. F. Lunæ 5. Epact. 21. Indict. 12. Fl. Ricimere, Fl. Clearcho Coss.***

Martinus Turonensis fugiens communionem eorum qui cum Ithacio suaserant Priscillianum morte plectendum, tantopere Maximum exacerbauit, vt minaretur se Priscillianistas omnes eodem modo quo Priscillianum ipsum internecione deleturum. Id metuens Martinus cum Ithacio communicat inuitus, & ad momentum, ac mox adeò pœnituit, vt deinceps ad obitum vsque fugerit omnes Synodos, non secus ac Gregorius Nazianzenus, vt diximus A. D. 382. idque propter grassantes vbique corruptelas, quales notauimus A. D. 358. Imppp. vetant Christianos Iudæis seruire. *C. Th. l. 3. t. 1. §. 1.* Augustinus tricesimum annum agens Mediolanum venit, Bautone Cos. designato, vt ipse docet *aduersus Petil. lib. 3. cap. 25. Confess. lib. 5. cap. 13. & lib. 6. cap. 11.* Damasus E. R. obit III. Idus Decemb. teste Damaso Portuensi, & quidem hoc, vt vult Baronius, anno. Marcellinus autem ante biênium vult eum obijsse Octobri mense. Succedit Damaso Siricius.

***A. D. 385. V. C. 1138. Valentiniani II. 10. Solis 2. E. Lunæ 6. Epact. 2. Indict. 13. Olymp. 291. Fl. Arcadio Aug. Fl. Bautone Coss.***

Augustinus annos vnum & triginta

natus, incipit ardere Mediolani veritatis Christianæ studio. *August. Confess. lib.* 8. *cap.* 7. Alexandriæ Timotheo succedit Theophilus Episcopus. *Socrat. lib.* 5. *cap.* 12.

---

*Anno Dn.* 386. *V. C* 1139. *Valentiniani II.* 11. *Solis* 3. *D. Lunæ* 7. *Epact.* 13. *Indict.* 14. *Fl. Honorio puero, Fl. Euodio Coss.*

Moriuntur Cyrillus Hierosolymitanus & Philastrius Brixianus, qui scripsit de hæresibus, eique succedit Gaudentius. *Hieronym.* Augustinus scribit aduersus Academicos anno 33. ætatis suæ, vt ipse docet lib. 3. cap. 20. Hieronymus suum in Ecclesiasten commentarium Paulæ dedicat, quinquennio post Blesyllæ mortem, epist. 13. tom. 4.

---

*A. D.* 387. *V. C.* 1140. *Valentiniani II.* 12. *Solis* 4. *C. Lunæ* 8. *Epact.* 24. *Indict.* 15. *Fl. Valentiniano II. Aug. III. Fl. Eutropio Coss.*

Pascha celebratur VII. Kal. Maias, vt prædixerat Ambrosius anno superiore, epist. 83. Augustinus annos 33. natus scribit Soliloquia lib. 1. cap. 10.

---

*A. D.* 388. *V. C.* 1141. *Valentiniani II.* 13. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 9. *Epact.* 5. *Indict.* 1. *Fl. Theodosio Aug. II. Fl. Cynegio Coss.*

Epiphanius Palæstinam lustrans, I. Paulinianum Presbyterum ordinat ætatis anno XXV. non quidem in Æliensi, sed in Eleutheropolitano territorio. Sed cùm Eleutheropolis sit in tribu Iuda, Iohannes Hierosolymitanus Episcopus putabat in eo sibi factam iniuriam. II. Cùm in Anablatha vico iuxta Betel scidisset Epiphani⁹ velum Ecclesiæ, quod in eo vidisset cõtra Scripturarũ authoritatem pendẽtem imaginem siue Christi, siue sancti cuiusdam pollicitus se velum aliud remissurum, quia promissum aliquandiu distulit, in eo quoque Iohannes Epiphanium culpabat. III. Iohannes quidem honoris specie cathedram obtulit Epiphanio, sed cùm putaret eum Anthropomorphitam esse, in eam hæresim multa declamauit. Vbi post Iohannem cathedram conscendit Epiphanius, dixit apprimè sibi probari cuncta quæ dicta fuerant in Anthropomorphitas; cupere verò se vt eâdem ingenuitate damnentur Origenis errores: quæ verba risu multorum excepta sunt, agnoscentium quàm falsè sugillaretur Iohannes. Hæc tria, quin & alia, fecerunt vt Iohannes Epiphanio subinfestus esset, quin & Hieronymo, quem Epiphanio quàm sibi sciebat addictiorem esse. Displicebat etiam Iohãni, quod cùm presbyter esset Hieronymus, tamen monachatus obtentu nullis reliquorum presbyterorum legibus adstringi se pateretur. *Epiphan. in Iohan. Hieronymus ad Pãmachium & ad Theophilum.* Theodosius clementiæ famam erga noxios captans, in tributis exigendis adeò rigidus erat, vt Antiochenos adegerit indignatio ad euertendas eius ac vxoris Placillæ statuas. Mox agnitâ sui facinoris atrocitate, Flauianum Episcopum suum ad Theodosium mittunt veniam rogaturi, cùm interim Magistratus in seditionis duces atrocissimè sæuiret. Flauianus Theodosium placat, qui clementię suę fructum hunc percepit, quod Maximum haud multò post debellauit, vt Occidentis imperium Valentiniano II. restitueret, quem etiam impulit ad Arianismum, quem à

Iustinâ matre didicerat, eiurandum, vt deinceps Ambrosio, cui fuerat infensus, charissimus euaserit. *Socrat. lib.* 5. *cap.*14. *Chrysostomus ad Antiochenos homi.* 2. *&* 3. *Ambros. epist.*34.

*A. D.* 389. *V. C.* 1142. *Valentiniani II.* 14. *Solis* 6. *G. Lunæ* 10. *Epact.* 16. *Indict.* 2. *Olymp.* 292. *Fl. Timasio, Fl. Promoto Coss.*

Moriuntur Gregorius Nazianzenus, Monicha mater Augustini ad ostia Tiberina, cùm Augustinus eam in Africam reduceret, ac denique Paulinus Antiochiæ schismaticus, qui ne morte quidem extingui voluit incendium suum, sed procurauit vt sibi substitueretur Euagrius: cui schismati cùm semper fauisset Roma, aduersus Euagrium ægerrimè se defendebat Flauianus. Iohannes Hierosolymitanus Episcopus, cùm videret Paulinianum ab Epiphanio ordinatum, quin & aliquot alios Presbyteros in Bethlehemitico monasterio Hieronymi subnixos authoritate, nullis Presbyterorum muneribus fungi, vetat suis Presbyteris, quos habebat Bethlehemi, ne competentibus Hieronymi baptismum conferrent. Hieronymus iniuriam hanc toto triennio dissimulat, hactenus vt in Iohãnem nihil scriberet. Cõfestim tamen ab eius iurisdictione se subducens, monasterium suum Cæsariensis Episcopi iurisdictioni submittit, & deinceps communicatorias ab eo literas petit. *Operum Hieronymi tom.*3. *epist.*16. 17.

*A. D.* 390. *V. C.* 1143. *Valentiniani II.* 15. *Solis* 7. *F. Lunæ* 11. *Epact.* 27. *Indict.* 3. *Fl. Valentiniano II. Aug. IV. Fl. Neoterio Coss.*

Theodosius horrendâ carnificinâ Thessalonicæ perpetratâ, Mediolanum venit. Agebatur tum Synodus illius prouinciæ, ex cuius sententiâ Theodosium Ambrosius ab Ecclesiæ limine submouet octo menses, ad natalem vsque Christi. *Theodoret. lib.*5. *cap.*17. *Socrat. lib.*5. *cap.*24. Antea nihil tale tentatum fuerat ab vllo Episcopo, aduersus vllum Imperatorem. Iouinianus à Siricio, Ambrosio & Hieronymo damnatur, quod castitati virginali coniugalem çquaret. *Siric. ep.*1. *Ambros. epist.*80. 81. *Hier. aduers. Iouin.* Epiphanius apud Iohannem Hierosolymit. Episcopum ita se excusat, vt enumeret multos Origenis errores, quibus Iohannem fauere dicebat. Scribit autem annis duobus antequam Hieronymus, post triennale silentium, in Iohãnem stylum stringeret. Harum literarum exemplaria cùm per multorum ora volitarẽt, Hieronymus ab Eusebio Cremonensi rogatus eas in Latinum vertit, precatus vicissim, ne publici iuris eas faceret, sed in scrinijs eas seruaret, quod & fecit duodeuiginti circiter mensibus. *Operum Hieronymi tom.*3. *epist.*16. *&* 64.

*A. D.* 391. *V. C.* 1144. *Valentiniani II.* 16. *Solis* 8. *E. Lunę* 12. *Epact.* 8. *Indict.* 4. *T. Fabio Titiano, L. Aurelio Symmacho Coss.*

L. Aurelius Anianus Symmachus huius anni Consul, nõnunquam etiam Præfectus Vrbi, gentilitiæ superstitionis, vt vt in dies ruentis, acerrimus propugnator erat, sed integerrimus ac modestissimus Senator, quâ ratione magnam Episcopo R. cleroq; Romano qui luxu diffluebat, conflauit inuidiam. *Ammian. Marcellinus lib.* 26.

*A. D.* 392. *V. C.* 1145. *Valentiniani II.* 17. *Solis* 9. *D. C. Luna* 13. *Epact.* 19. *Indict.* 5. *Fl. Arcadio August. II. Fl. Rufino Coss.*

Valentinianus secundus repente suffocatus inuenitur Idibus Maijs Sabbatho, pridie Pentecostes, Pachonis XX. *Epiphanius. Marcellinus.* Obijt sine baptismo, & tamen *vitâ iam fruitur æternâ*, inquit Ambrosius in eius funere. Augustinus adhuc Presbyter Hippone disputat aduersus Fortunatum Manichæum. Carthagine verò mortuo Parmeniano Donatistarum Episcopo, primò quidem Primianus, mox ab alijs Maximianus eligitur. Hinc ortum schisma grauissimum inter ipsos Donatistas, cuius passim Augustinus meminit. Iohannes Hierosolymitanus versionem Epiphanij literarum ab Hieronymo factam A. D. 390. nactus, accusat eam vt infidam, ac Hieronymum ipsum, vt turbulentum, & qui oleum addit incendio. Aduersus eum duas literas scribit Hieronymus ad Pammachium, 1. excusans se, quod vt semper, sic etiam hîc eâ sit vsus libertate, quam peritum interpretem & probum virum decet. 2. Iohannem accusat, vt addictum Origenis erroribus, quos multò plures recêset, & acriùs exagitat quàm ante biennium Epiphanius, cùm antehac Hieronymus ipse fuisset multorum Origenis librorum interpres & laudator maximus. Eâdem operâ Rufino & Melaniæ, quos Iohanni fauere credebat, succensere cœpit, & maledicere, cùm antehac eos laudibus in cœlum sustulisset. *Hieronym. tom.* 1. *epist.* 5. *&* 25. *& tom.* 3. *epist.* 17. *&* 64. In epistola 17. sub finem meminit eclipseos cuiusdam Solaris, vt ante paucos menses multorum magna consternatione conspectæ circa dies Pentecostes. Ea contigit hoc anno, Iunij 6. diebus 21. post Pentecosten. Eodem anno contigit altera Solis eclipsis Decembris 2. Caluisius in Nouembris 20. eam confert, sed mendosè. Hæc quia quadraginta tantùm diebus antecessit Honorij Imperatoris inaugurationem, Marcellinus & Prosper ita scribunt, ac si contigisset ipso coronationis Honorij die. Hieronymus scribit de scriptoribus Ecclesiasticis anno Theodosij XIV. vt ipse testatur in præfatione, & tom. 4. epist. 52.

*A. D.* 393. *V. C.* 1146. *Honorij* 1. *Solis* 10. *B. Luna* 14. *Epact.* 0. *Indict.* 6. *Olympiad.* 293. *Theodosio Aug. III. Fl. Habundantio Coss.*

Imperator Theodosius aduersus Eugenium & Arbogastem profecturus, filium suum Honorium vix decennem Imperatorem pronuntiat IV. Idus Ianuarias. *Socrat. lib.* 5. *cap.* 24. *Claudianus.* Hieronymus ad Nepotianum epist. 2. corruptos monachorum & cleri mores graphicè describit. Imprimis de Rom. clero quid sentiret, satis docet in præfatione quam præmisit libris Didymi do Spiritu sancto.

*A. D.* 394. *V. C.* 1147. *Honorij* 2. *Solis* 11. *A. Luna* 15. *Epact.* 11. *Indict.* 7. *Fl. Arcadio Aug. III. Fl. Honorio Aug. II. Coss.*

Cùm in tribus concilijs causam obtinuisset Maximianus, in quarto 310. Episcoporum, quod Bagaiense dictum est VIII. Kalend. Maias causam obtinuit Primianus, vt docet Augustinus passim,

quæ rerum varietas Donatistas confusione repleuit. Theodosius Eugenio & Arbogaste deletis, vsus est victoria clementissimè. *Augustin. de ciuit. lib. 5. cap. 26.* Dei fauorem in hac victoriâ Claudianus, vt vt Ethnicus, agnoscere cogitur.

*A. D. 395. V. C. 1148. Honorij 3. Solis 12. G. Lunæ 16. Epact. 22. Indict. 8. Sex. Anicio Olybrio Hermogene, Sex. Anicio Probino Coss.*

Hos Coss. fratres vocat & carmine concelebrat Claudianus. Erant autem vterini. Theodosius obit XVI. Kalendas Februar. Huius filij sic Romanum imperium inter se diuidunt, vt Arcadio maiori cedat Oriens, Occidens Honorio. *Socrat. lib. 5. cap. 25.* Rufinus, qui Consulatum gessit A. D. 392. Arcadium forsan animabat in fratrem Honorium, & multis barbaris viam in Rom. imperium patefecerat. Eam ob causam occiditur à militibus Stilichonis, cuius filia iam erat Honorio desponsata. *Claudianus.* Valerius Hipponensis Episcopus Augustinum collegam adsciscit, exemplo raro, sed non prorsus nouo. *Prosper. Possidonius. Augustin. epist. 33. & 110.*

*A. D. 396. V. C. 1149. Honorij 4. Solis 13. F. E. Lunæ 17. Epact. 3. Indict. 9. Arcadio Aug. IV. Honorio August. III. Coss.*

Cùm in Consulum inauguratione adhuc multi ritus ethnici vsurparentur, vt patet ex Claudiani versibus in hos Coss. putarunt Impp. posse retineri maiumæ ludicrum, modo paulò minùs quàm antehac obscœnum. *C. Th. l. 15. t. 6. §. 1.* Quidquid inter fluuios Halym, Cydnum, & Euphratem interiacet ac mare mediterraneum, id occupatur à gentibus egressis à Caucaso monte. *Hieronym. epist. 3.*

*A. D. 397. V. C. 1150. Honorij 5. Solis 14. D. Lunæ 18. Epact. 14. Indict. 10. Olymp. 294. Fl. Cæsario, Pontio Attico Coss.*

Ambrosius Episcopus Mediolanensis obit pridie Non. April. pridie Paschatis. *Marcellini Chron. Paulinus.* Huic substituitur Simplicianus. Obijt quoq; Nectarius Episcopus Constantinopolitanus V. Kalend. Octobr. eique substitutus est Iohannes Chrysostomus sequentis Februarij 26. Obit denique Martinus nocte quæ intercessit inter Nouemb. 10. & 11. eique substituitur vicesimo post die Briccius Nouembris 29. feriâ 1. Baronius malè differt id in A. D. 402. Impp. vetant ne quis ex gladiatorio ludo transeat ad seruitia Senatoria. *C. Th. l. 15. t. 12. §. 3.*

*A. D. 398. V. C. 1151. Honorij 6. Solis 15. C. Lunæ 19. Epact. 25. Indict. 11. Fl. Honorio Augusto IV. Fl. Eutychiano Coss.*

Siricius E. R. obit VIII. Kalendas Martias. Episcopatus cessat dies 20. Succedit Anastasius, teste Damaso Portuensi. Anastasius igitur ordinatus est Martij 14. feria 1. Imperator Honorius annum XV. agens ducit Mariam Stilichonis filiam ante triennium à patre Theodosio sibi desponsatam. Gildo cùm Africam rexisset annos 12. eamq; transferre cogitaret ad Arcadium, in ipso conatu opprimitur. *Claudianus. Zozimus.* Donatistarum circuncelliones in Africa grassantes ferro coerceri

iubent Impp. *lib.* 31. *C. Th. de Episcopis.* Cùm Petilianus eo nomine se persecutionem pati conquereretur, meritò pertendit Augustinus non esse quod conqueratur, si latronum sæuissimorum immanitas à Magistratu compescatur. *August. aduersus literas Petiliani l.* 2. *cap.* 43. *& seqq. De correctione Donatistarum cap.* 11. *Et in* 2. *epist. Gaudent. lib.* 2. *cap.* 20. Id verò non aduersatur ijs quæ diximus A. D. 383.

---

*A. D.* 399. *V. C.* 1152. *Honorij* 7. *Solis* 16. B. *Lunæ* 1. *Epact.* 7. *Indiction.* 12. *Fl. Manlio Theodoro, Fl. Eutropio Coss.*

Hic Eutropius Eunuchus potens, sed dominator impotens, primùm exilio, dein capite plectitur, vt patet ex Impp. lege 17. *C. Th. de pœnis.* Maiumæ festum primò sublatum, dein ante triennium restitutum, tandem abolent Impp. ob fœditatem. *C. Th. l.* 15. *t.* 16. *S.* 2. Augustinus scribit aduersus Faustum Manichæum libros 33. Imperator Honorius in Africa deorum templa simulachraque subuertit. *Augustinus de ciuitate lib.* 18. *cap.* 54. Origenis περὶ ἀρχῶν libros vertens Rufinus, in præfatione docet quàm multos eius libros verterit Hieronymus, quàm multis eum laudibus affecerit, se præcellens Hieronymi ingenium & eloquentiam assequi non posse, vestigia tamen tanti viri se lubenter sequi. Huius adulationis mercedem hanc retulit Rufinus, vt ab Hieronymo pro suis virtutibus exornaretur. Figuratas enim censebat esse laudes istas, ac prædicationis diasyrticæ strophas, quibus ingenium suum in cœlum tolli putabat, vt sua fides in cœnum deprimeretur, quasi Rufini mens hæc fuerit, Quod nuper in Origenem tam animosè scripsit Hieronymus, id fecit vt Iohannem Hierosolymitanum potiùs quàm vt Origenem læderet. Certè tum demum Origenem traducere cœpit, cùm Iohannem odisse cœpit, & Iohannem quidem cùm sugillabat, ei frenum aliquod inijciebat Episcopalis dignitas. In Rufinum quo minùs totam bilem effunderet, nullo freno retinebatur. Nec in Rufinum tantùm efferbuit eius ira, sed & in omnes qui tum Origenistæ dicebantur, cùm decimo circiter ante hunc anno totus propemodum orbis Christianus Origenista videri posset. Cùm igitur Theophilus Alexandrinus putaret eos ad mentem meliorem lenitate pelliciendos, Hieronymus illi contestatus est multis sanctis displicere lenitatem illam. *Tom.* 3. *epist.* 31.

---

*A. D.* 400. *V. C.* 1153. *Honorij* 8. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 2. *Epact.* 18. *Indict.* 13. *Fl. Stilichone, Fl. Aureliano Coss.*

Gainas multorum scelerum pœnas tandem luit. *Socrates lib.* 6. *cap.* 6. Theophilus Alexandrinus Hieronymi consilium secutus, Origenistas omnes ex Ægypto pellit, & vt idem à reliquis quoque fieret, Paschales aduersus eos literas scribit, quibus in sequentem annum indicit Pascha Pharmuthi 19. Aprilis 14. Epiphaniumque rogat vt literas suas in Isauriam, Pamphyliam, Thraciam perferendas curet. Imperialibus quoque rescriptis damnantur Origenistæ. *Biblioth. Patrum tom.* 3. *operum Hieronymi tom.* 3. *epist.* 30. 31. 32.



*A.D.* 401. *V.C.* 1154. *Honorij* 9. *Solis* 18. *F. Lunæ* 3. *Epact.* 29. *Indict.* 14. *Olymp.* 295. *Vincentio & Frauita Coss.*

Theodosius II. Arcadij filius nascitur V. Idus Aprilis. *Socrates lib.6. cap.6.* Theophilus Alexandrinus in sequentem annum indicit Pascha Pharmuthi 11. Aprilis 6 *Biblioth. Patrum tom.3.* Cùm omnes Origenis laudatores Origenistæ nuncuparentur, in eo numero Romæ plurimùm eminebat Melania Rufinum magni faciens. Marcella contra & Principia Hieronymo stude͂tes, sic Anastasium E.R. instigaru͂t, vt Rufinum citaret rationem redditurum, cur Origenis libros περὶ ἀρχῶν Romæ vertisset, & laudasset, & mox fugisset. Ille respondet se Româ non fugisse, sed in patriam quam totos annos triginta non viderat redijsse, se iam peregrinationibus & senio fessum, decreuisse sedem in patriâ figere, se nec primú præconem, nec primum interpretem esse librorum Origenis. Hęc recusatio mouit Anastasium ad Rufini, non minùs quàm Origenis damnationem, instigantibus etiam Alexandrini Theophili literis. *Hieronym. tom.1. epist.16. & tom.3. epist.34. & duobus in Rufinum libris, quos hoc anno scripsit.*

*A.D.* 402. *V.C.* 1155. *Honorij* 10. *Solis* 19. *E. Lunę* 4. *Epact.* 10. *Indict.* 15. *Arcadio Augusto, Honorio Augusto IV. Coss.*

Anastasius E.R. suam in Origenem & Rufinum censuram repetit. Cùm autem videretur iam ad leniorem in Origenistas me͂tem propendêre, *translatus est, ne latam semel sententiam precibus flectere conaretur*, inquit Hieronymus tom. 1. epist. 16. & tom. 3. in Rufinum libro tertio, quem hoc anno scripsit. Anastasius obit V. Kalend. Maij. Succedit Innocentius XV. Kalend. Iunias, feriâ primâ. *Damasus Portuensis vel eius continuator Anastasius.* Augustinus Xantippo Numidiæ Primati scribens, epist. 236. monet se resciuisse centum diebus ante Pascha celebrandum VIII. Idus Aprilis, h.e. se resciuisse sub finem anni superioris Decemb. 27. quo modo Gippitanæ Presbyter Ecclesiæ Decemb. 25. neglectâ tam ieiunij, quàm synaxeos sacræ reuere͂tiâ, totum diem egerit apud mulierem malæ famæ, rem esse dignam proximâ Synodo. Ea fuit Mileuitana. Arcadius filium suum Theodosium anniculum imperij consortem facit, ac in sequentem annum Consulem designat. Claudianus inter Getici belli præsagia refert crebros Lunæ defectus. Duo contigerunt hoc anno Kalend. Iunij, & VI. Kal. Decemb.

*A.D.* 403. *V.C.* 1156. *Honorij* 11. *Solis* 20. *D. Lunæ* 5. *Epact.* 21. *Indict.* 1. *Theodosio II. Augusto & Rumorodio Coss.*

Cùm Imperatrix Eudoxia Iohannem Chrysostomum odisset, & sciret eundem Alexandrino Theophilo, nec non alijs quibusdam inuisum esse ob dice͂di libertatem imprimis, Synodum conuocat, ad quam citatus Iohannes, cùm noluisset adesse, à Theophilo damnatur. Paulò post sequitur ingens terræ motus. Is Eudoxiam ita tremefecit, vt confestim Ioha͂nem reuocarit. *Theodoret. lib.5. cap.34.* Aduersus Alaricum Getarum regem missus Stilico mala fide rem agit. Nam cùm ad Pollentiam vicisset eum & capere posset, maluit cum

cum eo pacisci: mox cùm præuaricationis insimulari se videret, priorem culpam grauiore cumulauit, fœdus cum Getis ictum violando. Hæc Claudianus adulationibus quidem incrustat, sed non obscurè docet, ita se rem habere.

*Anno Dn.* 404. *V. C.* 1157. *Honorij* 12. *Solis* 21. *C. B. Lunę* 6. *Epact.* 2. *Indict.* 2. *Aristæneto Cos.*

Cùm rursus excandesceret Eudoxia, vicissimque Chrysostomus publicè diceret, *Rursus Herodias furit, rursus Iohannis caput petit*: alterum Constantinopoli cogitur concilium, quo rursus Chrysostomus à Theophilo damnatur pridie Paschatis, expellitur die Pentecostes, eodemque die conflagrat Palatium. Id cùm à Chrysostomi fautoribus factum crederetur, excarnificati multi. Iohannes Chrysostomus opem implorat Innocentij, qui sedis quidem suæ potentiam lubens promouisset & ostentasset in eo subleuando, sed frustra fuit. Paula moritur VII. Kalend. Februar. feriâ tertiâ, his Coss. *Hieronym. epist.* 27. *tom.* 1. Roma ludos seculares celebrat ducentis annis post ἑκατονκαιδεκαετηρεῖς ludos, quos Seuerus celebrauerat A. D. 204. V.C. 957. Ita confundebantur ἑκατονκαιδεκαετηρεῖς ludi cum cẽtenarijs. Sed maluit eos hoc modo, quàm nullo modo celebrari Romana superstitio, dum Honorium ea permittentem vidit, quæ vetuerant antecessores. *Claudianus.*

*A. D.* 405. *V. C.* 1158. *Honorij* 13. *Solis* 22. *A. Lunæ* 7. *Epact.* 13. *Indict.* 3. *Olymp.* 296. *Stilichone II. Anthemio Coss.*

Chrysostomus ad Olympiadem epistol. 4. luget Pelagij lapsum in hæresim, vt quem antehac sanctum credidisset, vt & Augustinus de peccat. merit. lib. 3. cap. 1.

*Anno Dn.* 406. *V. C.* 1159. *Honorij* 14. *Solis* 23. *G. Lunæ* 8. *Epact.* 24. *Indict.* 4. *Arcadio August. VI. Probino Coss.*

Quidquid inter Alpes & Pirenæos montes, Rhenum & Oceanum interiacet, id occupatur à Barbaris. *Prosper. Hieronym. tom.* 1. *epist.* 11. In Italiâ cùm idem facere conaretur Rhadagaisus centum ampliùs hominum millia ducens cum exercitu toto internecione deletur, & ita quidem, vt ne vnum quidem hominem desiderarint Romani. *August. de ciuit. lib.* 5. *cap.* 23.

*A. D.* 407. *V. C.* 1160. *Honorij* 15. *Solis* 24. *F. Lunæ* 9. *Epact.* 5. *Indict.* 5. *Honorio Aug. VI. Theodosio II. Augusto II. Coss.*

Iohan. Chrysostomus obit in exilio XVIII. Kalend. Decemb. Innocentius E. R. vbi vidit à multis, qui Chrysostomum viuum damnarant, mortuum desiderari, successorem eius Arsacium, vt vt defunctum, excommunicat, & Imperatorem Arcadium, & Theophilum Alexandrinum, si modo recentioribus Græcis credimus, & codici Vaticano quem laudat Baronius. Sed nec veteres & probæ notæ historici tale quidquam referunt, & constat Theophilum in suo munere permansisse. Constabat videlicet nullo iure Synodum, in qua damnatus fuerat Chrysostomus, inauditam indictâ causâ damnari posse ab E. R. Felix Manichæus post bidui cum Augustino disputationem suum erro-

rem agnoscit. *Augustinus.*

*A. D.* 408. *V. C.* 1161. *Honorij* 16. *Solis* 25. *E. D. Lunæ* 10. *Epact.* 16. *Indict.* 6. *Basso & Philippo Coss.*

Imperator Arcadius obit Kalendis Maij. Stilicho Romani proditor imperij Rauennæ occiditur X. Kalend. Septembr. *Socrat. lib. 6. cap. 21. Prosper. Marcellinus.*

*A. D.* 409. *V. C.* 1162. *Honorij* 17. *Solis* 26. *C. Lunæ* 11. *Epact.* 27. *Indict.* 7. *Olymp.* 297. *Honorio August. VIII. Theodosio II. Aug. III. Coss.*

Alarîcus perfidia Stilichonis irritatus in Italiam redit maioribus quàm pridem copijs. Hispaniam etiam occupant Vandali. Ita totum imperium Occidentis euertitur, cùm ob alia vitia, quæ frustra luxerant Hilarius, Martinus, Hieronymus: tum etiam quod paterentur tam Christiani, quàm olim Ethnici Imperatores suas statuas adorari, & de se, tanquam de dijs loquerentur. Sic enim Impp. Honorius & Theodosius hoc ipso, ne longiùs abscedamus, anno loquuntur maiorum exemplo, *C. Th. l. 1. t. 2. §. 10. Nulli habetur ambiguum etiam ab hæredibus & pro hæredibus posse rescripta nostri numinis allegari.* Innocentius E. R. qui nuper iniuriam homini factam iniuriâ multo maiore vindicandam censuit, ad hanc contumeliam diuino nomini factam obmutescebat, adeóque nemo legitur, qui profanum hunc loquendi morem dissuaserit ac reprehenderit. Sed & regnabat adhuc theatralis licentiæ furor, quem Augustinus de ciuit. lib. 1. cap. 33. Ethnicis imputat, vt primis auctoribus, sed Saluianus eum omnibus fuisse communem testatur, vt & lupanaria. Etiam incestus erat Imper. Honorius, vt qui duas sorores Stilichonis filias duxisset. Origenis errores fusiùs quàm pridem enarrat Hieronymus ad Auitum scribens. *Hieronym. tom. 3. epist. 15.*

*Anno Dn.* 410. *V. C.* 1163. *Honorij* 18. *Solis* 27. *B. Lunæ* 12. *Epacta* 8. *Indict.* 8. *Varane & Tertullo Coss.*

Alarîcus Romam capit ac in ea nefanda perpetrat, si credimus Hieronymo epist. 12. Paulus tamen Diaconus vult eum Ecclesijs & vasis Deo consecratis pepercisse. Certè quinque tantùm dies mansit Romæ. Vetus inscriptio: A. CHRISTI CCCCXII. KAL. APRIL. ALARICVS GOTHORVM REX ROMAM OCCVPAT, ET MAXIMAM EIVS PARTEM INCENDIO DEVASTATAM DESTRVIT. Erat omnino annus hic 412. à Christi natiuitate. Rufinus moritur in Sicilia, cui parum decenter insultat Hieronymus epist. 16. tom. 1.

*Anno Dn.* 411. *V. C.* 1164. *Honorij* 19. *Solis* 28. *A. Lunæ* 13. *Epacta* 19. *Indict.* 9. *Theodosio II. Augusto IV. Cos.*

Quamuis Africæ magnam partem obtinerent barbari, commeabant nihilominus tabellarij nuntiantes Paschata. Synesius igitur nuper ad Episcopatum admissus, tabellarium huiusmodi nuntiantem Pascha proximè sequenti anno celebrandum Pharmuthi 19. de meliore nota commendat epist. 13. Interpres malè vertit Aprilis 19. Vertere debuit Aprilis 14. Alarîco succedit A-

taûlphus & ab vxore suâ Gallâ Placidiâ Imperatoris Honorij sorore placidior redditur.

---

*A. D.* 412. *V. C.* 1165. *Honorij* 20. *Solis* 1. *G. F. Lunæ* 14. *Epact.* 0. *Indict.* 10. *Honorio August. IX. Theodosio II. Augusto V. Coss.*

Theophilus Alexandrinus Episcopus obit XV. Kalend. Nouemb. Tertio post die succedit Cyrillus. *Socrates lib. 7. cap.* 7. Electus est igitur Cyrillus Octobr. 20. feriâ 1. Hieronymus epitaphium Marcellæ scribit tom. 1. epist. 16. biennio post Romam ab Alarico captam.

---

*Anno Dn.* 413. *V. C.* 1166. *Honorij* 21. *Solis* 2. *E. Lunæ* 15. *Epactæ* 11. *Indict.* 11. *Olymp.* 298. *Luciano Cos.*

Hic Lucianus & Heraclianus in Africâ tyrannidem occupantes occiduntur.

---

*Anno Dn.* 414. *V. C.* 1167. *Honorij* 22. *Solis* 3. *D. Lunæ* 16. *Epactæ* 22. *Indict.* 12. *Constantio & Constante Coss.*

Ataûlphus Barcinone fraude suorum occiditur. *Orosius lib. 7. cap.* 43.

---

*A. D.* 415. *V. C.* 1168. *Honorij* 23. *Solis* 4. *C. Lunæ* 17. *Epact.* 3. *Indict.* 13. *Honorio Aug. X. Theodosio II. Augusto VI. Coss.*

Alexandriæ tumultus excitatur inter Cyrillum Episcopum & Orestem Præfectum, quo pars vtraque perpetrauit horrenda facinora. Neque verò suç factionis vllos incendiarios promptiores habuit Cyrillus quàm monachos, ad Episc. nutum Alexādriam vndequaq; confluentes, vt ambitioni Cyrilli militarent. *Socrat. lib. 7. cap.* 13. Et certè cùm corruptissimam fuisse doceant hanc annorum centuriam ea quæ diximus A. D. 358. 382. 384. 393. 409. eo seculo nulla capitalior Ecclesiæ reique publicæ pestis exorta est, quàm monachatus, qui centum circiter annis tot ventribus otiosis orbem terrarum impleuit, vt vix quisquam seruari posse crederetur, nisi qui statione relictâ, Rempublicam & Ecclesiam prorumpentium vndique latronum exponeret libidini, futurus ipse mox tantò pestilētior, quantò sanctior videri volebat. Nam etiam si quidam zelo, sed inconsiderato certè, tracti ad nouum hoc vitæ genus pietatem suam ad obitum vsque retinuerint: tamen vix vllus melior, plerique deteriores fiebant quàm pridem. Adeò semper Ecclesiæ funesta fuerunt humanæ prudentiæ commenta. Et tamen, cùm fuerit hoc primum inter Christianos monasticæ vitæ seculum, aureum quoque fuit, si cum sequentibus compareturt.

---

*Anno Dn.* 416. *V. C.* 1169. *Honorij* 24. *Solis* 5. *B. A. Lunæ* 18. *Epact.* 14. *Indict.* 14. *Theodosio II. Augusto VII. Palladio Coss.*

Cælestius Pelagij discipulus in Carthaginensi concilio damnatur ante Pelagium, quia Pelagius hactenus tanquam in aliena persona suos errores sparserat, quos Augustinus refellit libr. de peccatorum meritis. Pelagium autem damnauit Diospolitana Synodus à Carthaginensi monita, vt Augustinus

docet aduersus illos disputans l. 2. c. 11. Pelagianismi summa fuit hæc: *nos vt sine virtute, ita & sine vitio procreari.*

---

*A. D. 417. V. C. 1170. Honorij 25. Solis 6. G. Lunę 19. Epact. 25. Indict. 15. Olymp. 299. Honorio Aug. XI. Constantio II. Coss.*

Innocentius E. R. moritur V. Kal. Augusti. Succedit Zozimus XIV. Kalend. Septemb. feriâ 1. Pelagius à Diospolitanis damnatus, huius Zozimi auxilium implorat more vitilitigatorum. Sic autem infit, *Nos dicimus hominem semper & peccare, & non peccare posse, vt semper nos liberi confiteamur esse arbitrij.* Hanc confessionem vt veram, Pelagium, vt insontem exosculatur Zozimus & Africanis commendat, ac quod in illo est, absoluit. Idem in Cælestij, qui nihilo meliora docebat, gratiam fecit Zozimus, vt docent eius literæ, quas refert Baronius.

---

*A. D. 418. V. C. 1171. Honorij 26. Solis 7. F. Luna 1. Epact. 7. Indict. 1. Honorio Aug. XII. Theodosio II. Augusto VIII. Coss.*

In Zozimo duo reprehendebant Africani, 1. quod sententiam laudaret erroris manifestam. 2. quod vsurparet ius eos absoluendi, quos Africa damnasset. Respondet Zozimus traditione Patrum eam sedi suæ tributam auctoritatem, vt de eius iudicio disceptare nullus audeat. Ad retundendum hunc cleri Romani dominatum, Africani sanciunt Africanas controuersias in Africa dirimendas. *Ad transmarina autem iudicia qui putauerit appellandum, à nullo intra Africam in communione suscipiatur.* 2. q. 6. c. *placuit.* Zozimus prætexebat hoc Synodi Nicenæ decretis aduersari. Pernegant id Africani. Interim moritur Zozimus VII. Kalendas Ianuarias. Biduo triduóve post feriâ primâ duo substituuntur, Eulalius & Bonifacius. Hinc turbæ, quas pro virili parte reprimit Symmachus Præfectus Vrbi, eaque de re monet Honorium.

---

*Anno Dn. 419. V. C. 1172. Honorij 27. Solis 8. E. Luna 2. Epact. 18. Indict. 2. Monaxio & Plinta Coss.*

Agitur de causa inter Eulalium & Bonifacium. Post multas literas vltrò citróque datas, vtrumque Rauennam venire iubet Honorius XVIII. Kalend. Februarias, & cleri maximam partem. Synodum habuit VI. Idus Febr. Dissensio maior fuit, quàm vt potuerit controuersia dirimi. Iubet Honorius ambos ab Vrbe procul abscedere. Eulalius Pascha, quod tum incidit in Martij XXX. Romæ peragere nihilominus nitebatur, & vix tandem eijci potuit. Hanc ob causam damnatus VII. Idus Apriles, & Bonifacio datus Episcopatus Imperatoris & Synodi iudicio. Ad Synodum indictam Carthagine VIII. Kalendas Iunias sistunt se legati, quos iam anno superiore miserat Zozimus in Africam. Hi canonem confictum, aut à Sardicensi Synodo, quæ tum nullo loco, nullo numero habebatur, sancitum obtrudũt pro Niceno. Nicenum hunc canonem esse pernegãt Africani, collatis multis exemplarib⁹. Legati sedis Rom. perstant in asseueratione suâ. Decernunt Africani mittendum Alexandriam, Antiochiam, Constantinopolim, vt illinc eruantur authentica canonum Nicenorum exemplaria. Mo-

nentur E. R. legati vt ad eadem loca se conferant, aut mittant, quod strenuè cauerunt. Satis enim sciebant se verba dare. Sed cùm nec culpam, cuius sibi conscij erant, agnoscere vellent: nec rem falsi manifestam auderent in Oriente propugnare; verisimile est eos varijs procrastinationibus conatos efficere, ne quis eam ob causam in Orientem mitteretur, vt hæc causa sit cur quarto demum post hunc anno acceptum sit Orientalium super hâc controuersiâ responsum.

*A.D.* 420. *V.C.* 1173. *Honorij* 28. *Solis* 9. *D.C. Lunæ* 3. *Epact.* 29. *Indict.* 3. *Theodosio II. Augusto IX. Constantio Cæsare Coss.*

Hieronymus obit pridie Kalendas Octobr. *Prosper.* Quidam illi tribuunt annos vitę 98. Prosper 91. Baronius 78. quod vero propius est.

*A.D.* 421. *V.C.* 1174. *Honorij* 29. *Solis* 10. *B. Lunæ* 4. *Epact.* 10. *Indict.* 4. *Olymp.* 300. *Agricola & Eustathio Coss.*

Constantius Cæsar obit. Theodosius Eudoxiam Leontij Philosophi filiam ducit. *Prosper. Marcellinus.*

*A.D.* 422. *V.C.* 1175. *Honorij* 30. *Solis* 11. *A. Lunæ* 5. *Epact.* 21. *Indict.* 5. *Honorio Augusto XIII. Theodosio II. Augusto X. Coss.*

Bonifacius E. R. Hilarium Narbonensem Episcopum monet V. Kalend. Februar. vt Metropolitanus quisque suæ prouinciæ finibus contentus, in alterius messem falcem non immitat, cùm ipse quantum poterat, in aliorum iura inuaderet. Sic *pia mater* filiam *Plusquam se sapere & virtutibus esse priorem Vult.* Alexandrinus Episcopus Africanis, prout rogatus fuerat, mittens canonum Nicenorum exemplar, eâdem operâ nuntiat proximè sequentis anni Pascha celebratum iri XVII. Kal. Maij.

*A.D.* 423. *V.C.* 1176. *Honorij* 31. *Solis* 12. *G. Lunæ* 6. *Epact.* 2. *Indict.* 6. *Mariniano & Asclepiodoto Coss.*

Bonifacius E. R. obit VIII. Kalend. Nouemb. Cessat Episcopatus dies nouem. (*Anastasius.*) excluso videlicet vtroque termino. Ita Cælestinus ordinatus fuerit Nouembris quarto, feriâ primâ, pro more. Huic Cælestino scribunt Africani sibi collatione fidissimorum canonum constare non esse Nicena, quæ Zozimi, Bonifacijque legati contenderant esse Nicæna, adeoque tantum abesse, vt quod sibi, suæve sedi deberi contenderant, vllo Niceno canone nitatur, vt id sit contra canones Nicenos. Caueat ergo deinceps sedes Romana, ne cuiusquam Africani prouocationes ad suam sedem admittat. Idem iam Africani contestati fuerant aduersus clerum Roman. A. D. 252. Hispani A. D. 255. Placidia Ataûlphi vidua rediens ad fratrem Honorium cum duobus filijs suis, Honorio scilicet & Valentiniano, durè repellitur, & in Orientem ad Theodosium II. amandatur, neque multò post Imperator Honorius obit XVIII. Kal. Septemb. *Socrates libr. 7. cap. 23. Prosper. Marcellinus.*

*Anno Dn.* 424. *V. C.* 1177. *Valentiniani III.* 1. *Solis* 13. *F. E. Lunæ* 7. *Epact.* 13. *Indict.* 7. *Fl. Castino, Fl. Victore Coss.*

Honorij regnum variè discerpitur. Bonifacius Africam inuadit, Iohannes Italiam, adstipulāte Castino Cos. Theodosius II. consobrinum suum Valentinianum III. Constantij Cæsaris & Placidiæ filium in Occidentem mittit, cum Placidiâ matre, ad recuperandum auunculi sui regnum. Id eò fuit illi facilius, quod inuenit Iohannem occupatum in oppugnando Bonifacio. *Prosper. Marcellinus.*

*A. D.* 425. *V. C.* 1178. *Valentiniani III.* 2. *Solis* 14. *D. Lunæ* 8. *Epact.* 24. *Ind.* 8. *Olymp.* 301. *Theodosio II. Aug. XI. Valentiniano III. Aug. Coss.*

Aëtius in Iohannis gratiam Hunnos in Italiam inuitauerat. Is vbi vidit Iohannem à Valentiniano III. debellatum, veniam impetrauit eâ lege vt curaret Hunnos ad suas sedes reducendos. Castinus autem, qui Iohanni fauerat & ipse, missus est in exilium. *Prosper.*

*A. D.* 426. *V. C.* 1179. *Valentiniani III.* 3. *Solis* 15. *C. Lunæ* 9. *Epact.* 5. *Indict.* 9. *Theodosio* 11. *August. XII. Valentiniano III. Aug. II. Coss.*

Sisinnius vir sanctæ simplicitatis & simplicis sanctitatis, in locum Attici subrogatur Episcopus Constantinopolitanus. *Socrat. lib.* 7. *cap.* 26. *Marcellin.* Augustinus VI. Kalend. Octobreis feriâ primâ, præsente populo & probante, Presbyterum Eradium successorem suum designat, vt ipse docet epist. 110. Impp. Papiniani, Pauli, Gaij, Vlpiani, atque Modestini scripta vniuersa firmant. *C. Th. l.* 1. *t.* 4. *§.* 1.

*Anno Dn.* 427. *V. C.* 1180. *Valentiniani III.* 4. *Solis* 16. *B. Luna* 10. *Epact.* 16. *Indict.* 10. *Hierio & Ardabure Coss.*

Sisinnius Episcopus Constantinopolitanus obit IX. Kalend. Ianuar. *Socrates lib.* 7. *cap.* 28. Augustinus suos de Dei ciuitate libros auspicatus A. D. 410. non absoluit ante hunc annum, vt patet ex lib. 18. cap. 54. Aduersus Bonifacium in Africâ regnantem mittit Valentinianus Mauortium, Galbionem, Sinoëcem. Hic duos priores prodit Bonifacio, qui tam illos, quàm proditorem occidit. Africam etiam inuadunt Vandali ab Hispania profecti. *Prosper.* Pannoniæ verò quinquaginta circiter annos ab Hunnis occupatæ, recuperantur à Romanis. *Marcellinus.*

*Anno Dn.* 428. *V. C.* 1181. *Valentiniani III.* 5. *Solis* 17. *A. G. Lunæ* 11. *Epact.* 27. *Indict.* 11. *Tauro & Felice Coss.*

Sisinnio substituitur ambitu multo Nestorius Episcopus Constantinopolitanus IV. Idus April. *Socrat. lib.* 7. *cap.* 29. Is vnitatem personæ negans in Christo, diuinitatem etiam eius euersum ibat, nisi Cyrillus Alexandrinus & Cælestinus Romanus fortiter illi restitissent. Aëtius Comes partem Galliarum Rheno propinquam à Francis occupatam recuperat. *Prosper.*

*A. D.* 429. *V. C.* 1182. *Valentiniani* III. 6. *Solis* 18. *F. Lunæ* 12. *Epact.* 8. *Indict.* 12. *Olymp.* 302. *Fl. Florentio, Fl. Dionysio Coss.*

Augustinus Hipponensis Episcopus LXXVI. agés annum supremum diem obiit V. Kalend. Septemb. *Marcellinus.* Aëtius, agricola cum fuisset, ob res in Gallia bene gestas fit Magister militum. *Prosper.*

---

*A. D.* 430. *V. C.* 1183. *Valentiniani* III. 7. *Solis* 19. *E. Lunæ* 13. *Epact.* 19. *Indict.* 13. *Theodosio* II. *Aug.* XIII. *Valentiniano* III. *Augusto* III. *Coss.*

Impp. Synodum œcumenicam indicunt Ephesi. Eò venerunt Nestorius Episcopus Constantinopolitanus circa Pascha, Cyrillus Alexandrinus, Iuuenalis Hierosolymitanus, Iohannes Antiochenus circa Pentecostem. *Acta Synodi.* Aëtius vxorem suam Padusam, Felicem & Grunnitum Diaconum sibi insidiantes interficit. *Prosper.*

---

*A. D.* 431. *V. C.* 1184. *Valentiniani* III. 8. *Solis* 20. *D. Lunæ* 14. *Epact.* 0. *Indict.* 14. *Basso & Antiocho Coss.*

Ephesina Synodus absoluitur. Patronus eius fuit Cyrillus Alexand. tam post quàm ante aduentum legatorum Cælestini E. R. Assertæ sunt in Christo naturæ duæ, persona vnica, aduersus Nestorium Episcopum Constantinopolitanum, cui damnato substitutus est Maximianus Nouembr. 8. *Socrat. lib.* 7. *cap.* 36. *Acta Synodi.* Constantinopoli tanta fuit tritici penuria, vt Theodosius II. Imperator à populo lapidibus petitus sit. *Marcellinus.*

---

*A. D.* 432. *V. C.* 1185. *Valentiniani* III. 9. *Solis* 21. *C.B. Lunæ* 15. *Epact.* 11. *Indict.* 15. *Aëtio & Valerio Coss.*

Cælestinus E. R. obit VIII. Idus Aprilis. Succedit Xistus siue Sixtus III. *Anastasius.* Bonifacius ea quæ secus fecerat, Aëtij, non Principis odio fecisse se mentiens, Augustæ Placidiæ consilio cum Aëtio committitur singulari certamine: Ab eo vulneratus, tertio post mensem moritur, vxorem Pelagiam hortatus, vt nulli, nisi Aëtio nuberet. *Marcellinus.*

---

*A. D.* 433. *V. C.* 1186. *Valentiniani* III. 10. *Solis* 22. *A. Lunæ* 16. *Epact.* 22. *Indict.* 1. *Olymp.* 303. *Theodosio* II. *August.* XIV. *Anicio Maximo Coss.*

Constantinopoleos maxima pars totos tres dies continuos conflagrat, Augusto mense. *Prosper. Marcellinus.*

---

*A. D.* 434. *V. C.* 1187. *Valentiniani* III. 11. *Solis* 23 *G. Lunæ* 17. *Epact.* 3. *Indict.* 2. *Aspare & Areobindo Coss.*

Maximianus Episcopus Constantinopolitanus obit his Coss. pridie Idus Aprilis, triduo ante Pascha, eique substituitur eodem die Proclus, antehac Cyzicenus Episcopus. *Socrat. lib.* 7. *cap.* 39. Honoria Valentiniani III. soror ab Eugenio procuratore suo stuprata, cum eo coniurat aduersus fratrem, cui

satis fuit eam ex Italiâ pellere, & ad Theodosium II. consobrinum ablegare. *Marcellinus.* Clericorum sine testamento defunctorum bona quo modo distribui debeant sanciunt Impp. *C.Th. l.5.t.3.§.1.*

*A.D.* 435. *V.C.* 1188. *Valentiniani III.* 12. *Solis* 24. *F. Lunæ* 18. *Epact.* 14. *Indict.* 3. *Theodosio Aug. XV. Valentiniano III. Aug. IV. Coss.*

Theodosius II. Nouellarum suarum primâ promulgat confirmationem Codicis sui, qui Theodosianus dicitur. Sequuntur tamen Nouellæ quædam ante hunc annum latæ. Videlicet, quæ Codicis Theodosiani collectores omisetant, ea contulerunt in librum Nouellarum. Pax fit cum Vandalis eâ lege vt Africæ partem aliquam occupent circa Hipponem. Burgundiones cum suo rege Gundicario primò quidem ab Aëtio vincuntur, dein ab Hunnis internecione delentur in Gallia. Sebastianus Bonifacij Patricij gener, vrbe Augusta (h. e. Constantinopoli) fugit, & in Africa interimitur. *Prosper.*

*A.D.* 436. *V.C.* 1189. *Valentiniani III.* 13. *Solis* 25. *E.D. Lunæ* 19. *Epact.* 25. *Indict.* 4. *Fl. Isidoro, Fl. Senatore Coss.*

Narbonam acriter à Gothis obsessam liberat Litorius Comes. *Prosper.*

[*⁎*]

CENTVRIÆ QVINTÆ, NOSTRÆQVE
*Synopseos Historicæ finis.*



